UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 00364538 9

Laufenberg, Wilhelm
Quaestiones chronologicae de rebus parthicis armeniisque a Tacito in libris XI-XVI

DS
181
L3

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/quaestioneschron00lauf

8 Kl 1096

QVAESTIONES CHRONOLOGICAE

DE

REBVS PARTHICIS ARMENIISQVE A TACITO IN LIBRIS XI—XVI

AB EXC. D. AVG. ENARRATIS.

DISSERTATIO HISTORICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XIV. MENSIS AVGVSTI A. MDCCCLXXV HORA XI

PVBLICE DEFENDET

GVILELMVS LAVFENBERG
RHENANVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

LAVRENTIVS MORSBACH, DR. PHIL.
PETRVS MEYER, STVD. PHIL.
FRANCISCVS WVELLENWEBER, STVD. PHIL.

BONNAE
FORMIS CAROLI GEORGI.

DS
181
L3



VIRO EGREGIO

ARNOLDO SCHAEFER

Materiam, de qua quaestionem hoc loco instituturus sum, iam in libro illo a Buedingero edito: 'Untersuchungen zur Römischen Kaisergeschichte' [1]) Aemilius Eglius pertractavit in opusculo, quod inscribitur: 'Feldzüge in Armenien von 41—63 n. Chr. Ein Beitrag zur Kritik des Tacitus' [2]). cuius opusculi ab ipso Buedingero in praefatione [3]) laudibus probati maximi quidem, quod iam ibi statuitur, momenti est pars altera, qua tempore imperatorum Iuliorum Armeniae geographia, quatenus ad rem militarem spectat, explicatur atque definitur. nec vero eam in discrimen vocare in animo est, sed priorem ad rerum Armeniarum inde ab a. 38—63 p. Chr. n. chronologiam pertinentem, quam bene ibi expositam esse Buedingero [4]) persuasum est. nam quae secuntur quaestiones, quibus operam dedi, antequam Eglii dissertatio mihi in manus venit, cum multis in rebus plurimum discreparent ab eis, quas illi debemus, multaque in his inessent, quae corrigenda viderentur, operae me pretium esse facturum putavi, eandem rem si retractarem emendationisque periculum facerem. quod quidem eo magis necesse visum est, cum nuperrime ipso illo Eglii libello ita usus sit H. Schiller: 'Geschichte des Römischen Kaiserreichs unter Nero' (Berlin 1872), ut quae ille invenit, in his quasi fundamento niteretur [5]). alii autem (etiam recentissimi), qui illam historiae imperatorum Romanorum partem descripserunt, chronologiam rerum Parthicarum Armeniarumque aut falso statuerunt aut omnino neglexerunt: quorum satis est enumeravisse hos: Lehmann, Claudius u.

1) I. Leipzig 1868.
2) S. 267 ff.
3) p. 6.
4) ibid.
5) Quam rem ipse confitetur p. 110 adn. 1.

Nero u. ihre Zeit. Gotha 1858; Held, De Cn. Domitio Corbulone. Suidnicii 1862; Raabe, Geschichte u. Bild von Nero. Utrecht 1872. neque vero de chronologia Parthorum regum Gotarzis, Vardanis, Vononis, Vologaesis illo tempore regnantium quaestiones quas habuit Gutschmidius in libris qui inscribuntur: Allgemeine Encyclopaedie der Wissenschaften und Künste 1. Sect. LXXV. Th. Leipzig 1862. S. 38 ff. s. v. Gotarzes in omnibus probandae sunt, quamquam ceteris ea de re propositis quin multum praestent non dubitaveris, cum praesertim Parthorum regum nummorum solus ille, prout res postulat, rationem habuerit.

Sed inter haec praetermittendum non esse existimavi id unum hoc loco agi, ut singularum illius temporis rerum gestarum chronologia examinetur atque statuatur. qua re simul et Taciti de fide atque scribendi modo, quod ad rem chronologicam pertinet, gravissimum habeas exemplum. certissimis enim mihi videtur liquere argumentis: maiorem non raro apud Tacitum in rebus chronologicis diligentiam desiderari. neque Buedingero assentieris iudicanti: [1]) ex Corbulonis commentariis quae Tacitus excerpserit, quod ad chronologiam et geographiam pertineat, accuratissime esse composita.

Sed hoc tantum mihi in animo fuit, ut quae visa sunt proponerem causisque allatis affirmarem. quae quam verae sint alius iudicaverit.

---

1) ibid.

I.

De rebus Parthicis perturbatis

inde a m. Aug. a. 42 usque ad finem a. 52 s. initium a. 53 p. Chr. n. Tacitus Ab exc. d. Aug. XI, 8—10; XII, 10—14.

Primam historiae rerum Parthicarum Armeniarumque particulam post magnam illam lacunam a libro VI—XI Tacitus hisce verbis incipit: 'sub idem tempus Mithridates, quem imperitasse Armeniis . . . C. Caesaris vinctum memoravi, monente Claudio in regnum remeavit, fisus Pharasmanis opibus'. quod si Tacitum in libris Ab exc. d. Aug. componendis res gestas singulos per annos distribuisse statuimus, Mithridaten remeasse eodem anno necesse est, de quo omnino superioribus capitibus auctor loquitur i. e. a. 47 p. Chr. n. (800 a. u. c.). quae sententia eo comprobari videtur, quod Tacitus XI, 11 finita hac particula pergit 'isdem consulibus ludi saeculares octingentesimo post Romam conditam . . . . . spectati sunt'.

Pauca autem sunt praemittenda; verba 'is (Pharasmanes) rex Hiberis idemque Mithridatis frater nuntiabat discordare Parthos summaque imperii ambigua minora sine cura haberi' qua ex causa Mithridates redierit indicant; unde satis elucet inter Parthos discordias exortas esse, antequam Mithridates in regnum rediret, et fortasse ipso a. 47. verbis quae deinde secuntur 'nam Gotarzes inter pleraque saeva necem fratri Artabano coniugique ac filio eius paraverat; unde metus in ceteros et accivere Vardanen. — interim Gotarzes Daharum

Hyrcanorumque opibus auctus bellum renovat; coactusque Vardanes omittere Seleuciam, Bactrianos apud campos castra contulit' Tacitus summatim rerum Parthicarum statum i. e. discordias Parthorum explicat. initio autem c. 9 verbis 'tunc distractis Orientis viribus et, quonam inclinarent, incertis, casus Mithridati datus est occupandi Armeniam' rursus ad reditum Mithridatis c. 8 memoratum legentes delegat. qua re maiorem huius capitis partem, quasi 'praemittenda' putare licet, ita ut res ibi narratae breviore seu longiore temporis spatio ante illum Mithridatis reditum in regnum (a. 47) factae esse videantur [1]).

Sed nequaquam recte fecisse videmur, quod hanc Taciti particulam historiae Parthicae (XI, 8—10) ad a. 47 rettulimus, nam nonnullae nobis ea de re moventur dubitationes atque eae gravissimae. quae si non sublatae erunt, illam sententiam reiciamus necesse erit. quod ut demonstretur, primum quomodo Taciti Ab exc. d. Aug. liber XI c. 8—10 et l. XII. c. 10—14, altera historiae Parthicae particula, inter se cohaereant definiendum est, unde apparebit quae a Tacito XI, 8—10 narrantur ea annum 47 haud dubie excedere.

Alteram hanc particulam (XII, 10—14) eodem modo quo priorem (XI, 8) verbis 'per idem tempus' Tacitus incipit. annus autem, de quo agitur, est a. 49 [2]) eamque particulam praeclare priori connexam esse verbis 'ut rettuli' docemur. neque vero minus ex ipsa narratione artissimus hoc loco contextus elucet. nam in fine prioris particulae (XI, 10) legimus Parthos misisse ad principem Romanum occultas preces, quibus permitti Meherdaten [3]) patrium ad fastigium orarent, eaque ipsa res iterum commemoratur initio alterius particulae (XII, 10): legatos Parthorum ad expetendum Me-

---

1) Quae vel maxime confirmantur tempore plusquamperfecto 'paraverat' neque minus verbis iam supra laudatis 'tunc distractis Orientis viribus . . . . casus Mithridati datus est occupandi Armeniam'. nam eo consilio Mithridates rediit, ut Armeniam recuperaret; quare omnia, quibus casus ei datus erat occupandi Armeniam, ante eius reditum facta esse oportet.

2) cf. XII, 5: C. Pompeio Q. Veranio consulibus i. e. a. 49.

3) Meherdates filius erat Vononis I (Tacit. XII, 10), nepos Phraatis IV. (Tacit. ibid. et XI, 10).

herdaten missos senatum ingressos esse mandataque in hunc modum incepisse etc.

Res autem gestae, quae huius Parthorum legationis aditum in senatum C. Pompeio Q. Veranio coss. antecedunt, Tacito auctore breviter enarratae hae sunt: l. XII. c. 5—7 exponuntur nuptiae imperatoris Claudii et Agrippinae, Germanici, fratris eius, filiae, c. 8 Silanum generum a Claudio delectum ipso nuptiarum die mortem sibi conscivisse legimus; secuntur eodem cap. nonnulla Claudii et Agrippinae instituta; c. 9 denique Claudium despondisse narratur Octaviam filiam Domitio Neroni, qui postea imperator factus est. clare ex his intellegitur ineunte a. 49 nuptias celebratas atque Silanum mortuum esse. quod etiam testimoniis confirmatur Suetonii et Dionis [1]). initium igitur a. 49 Tacitus verbis 'per idem tempus' significare vult, atque eo magis hac in re fides ei habenda est, quod Romae et quidem in senatu rem factam esse cognoscimus, neque dubitandum est, quin Tacitus recte de ea re rettulerit, nisi omnia, quae apud eum ad chronologiam pertinent, in dubitationem vocare velis. Parthorum autem legatos initio a. 49 senatum ingressos esse ex ipsa quoque Taciti narratione re accuratius perquisita dilucide apparebit. nam, ut ex eo [2]) discimus, Meherdates expeditionem in Armeniam id temporis suscepit, cum hiems occipiebat. notum vero est in Armenia hiemem quam maturrime initium capere (m. Oct. iam omnia ibi nive teguntur) [3]). sed longius fuisse intervallum inter illum Parthorum legatorum in senatum aditum, cui etiam Meherdates intererat, atque expeditionem eius in Armeniam hieme instante haud dubie c. 12 indicatur: comparatis rebus omnibus, quibus opus erat, Meherdates longum illud iter facit in Syriam ad C. Cassium Longinum, eius provinciae tum praesidem, cui datum erat imperatoris iussis deducere iuvenem ad Euphratis ripam; excitis deinde,

1) Nam Suetonius in vita Claud. c. 29 hoc ipsum dicit 'Silanus . . . . mori initio anni coactus, die ipso Claudii et Agrippinae nuptiarum' et Dio LX, 51, 5. 6. Claudium Messalina occisa (m. Oct. a. 48. Tacit. XI, 31. 38) μετ' ὀλίγον fratris filiam Agrippinam in matrimonium duxisse narrat.

2) XII, 12 (fin.). 13 (in.).

3) cf. Egli. p. 317. adn. 4.

quorum de sententia petitus rex, in castris apud Zeugma positis adventus illustrium Parthorum regisque Arabum Acbari expectatur et cum advenissent Meherdaten monet C. Cassius, ne barbarorum impetus acres cunctatione languescere sinat. sed per fraudem Acbarus iuvenem in luxu multos per dies attinet apud oppidum Edessam, unde dein Armeniam petunt. iam satis ex his concludere licet initio a. 49 aditum illum in senatum Romae factum esse. itaque, Parthos si exeunte a. 47 legatos ad Claudium misisse (XI, 10) sumimus, Tacitus de a. 48 certe omnino non locutus esset atque aut legatorum iter Romam factum amplius uno anno duravisset, aut legati Romae iam advenissent multo prius, quam senatum ingressi essent. quarum quidem utraque sententia re ipsa reicitur, ideoque si re vera Tacitus libros Ab exc. d. Aug. servato temporum ordine i. e. annales componere voluisset, maxima eius in chronologia neglegentia deprehenderetur. nam annum fere unum dimidiumque praeteriisse, quo res in Oriente gestae omnino mutatae non essent, praesertim apud Parthos tantopere rerum novarum cupidos, nemo est qui credat: primores enim eius gentis, qui Gotarzen ob saevitiam ac luxum abhorrebant, certe per tam longum temporis spatium expectato precum, quas ad principem Romanum miserant, exitu novas moliri insidias contra regem invisum desiisse verisimile non est. quapropter ea, quae a Tacito XI c. 9 et 10 narrantur, non solum ad a. 47, sed etiam ad a. 48 pertineant necesse est. quae sententia eo vel maxime confirmatur, quod Taciteae narrationis particulas (XI, 8—10 et XII, 10—14) artissime inter se cohaerere iam vidimus. Tacitum igitur in libris Ab exc. d. Aug. accuratam iustamque temporum seriem nullo modo observasse, sed particulam historiae Parthicae XI, 8—10 usque eo deduxisse intellegitur, ad eam ut l. XII c. 10 suo tempore rediret.

Haec cum demonstrata sint, quaestio instituenda est, utrum haec particula etiam ad annos, qui praecedunt, referenda sit an ab a. 47, ut videtur, initium capiat. quam ad rem diiudicandam duobus ipsius Taciti locis quasi fundamento uti licet. priore enim ille loco (c. 9) narrat regresso Vardani deditam esse Seleuciam septimo post defectionem anno, altero deinde (c. 10) Vibium Marsum, Syriae legatum, bellum mini-

tantem cohibuisse Vardanen ab Armenia recuperanda. itaque si Seleuciam urbem Vardani a. 47 deditam fuisse existimamus, a. 40/41 eam defecisse credendum est. huius autem temporis dolendum est periisse Taciti Ab exc. d. Aug. libros. sed cum ipso Tacito auctore a. 36 [1]) Seleucia ab Artabano III., patre Vardanis, defecerit, quaeritur utrum bis defecerit a Parthorum rege, primum a. 36, iterum a. 40/41, an semel tantum et id quidem a. 36. hoc alterum si sumimus, Seleuciam, quippe quae septimo post defectionem anno dedita est, a. 42/43 traditam esse ideoque ea, quae a Tacito c. 8 et 9 narrantur, illum annum antecedere necesse est.

Clintonius [2]) itemque Gutschmidius [3]) cum huius particulae historiae Parthicae omnes res gestas anno 47 attribuant, recte putant Seleuciam a Parthis bis defecisse, a. 36 et a 41. sed in hac re decernenda maximi momenti est alter ille Taciti locus (c. 10), de quo iam supra dixi: Vardanen, Parthorum regem, a Vibio Marso, Syriae legato, ab Armenia recuperanda cohibitum esse. erat is C. Vibius Marsus Syriae legatus inde ab a. 42; novissimis autem mensibus a. 45 non iam Syriam provinciam regebat, sed C. Cassius Longinus ibi munere legati fungebatur. cuius rei certiores fimus nummo quodam Antiocheno [4]) quo Cassium Longinum a. 94 aerae Caesarianae (inde a. m. Oct. a. 45 — m. Oct. a. 46 p. Chr. n.) Syriae praesidem fuisse indicatur. sed Vibius Marsus quo tempore e provincia discesserit, etiam accuratius docet Iosephus [5]), qui Claudium post mortem Agrippae, Iudaeorum regis (aestate a. 44), Cassium Longinum Vibio Marso successorem in Syriam misisse tradidit. quod factum est fine a. 44 vel initio a. 45, nam ipse ille Iosephus pergit narrando: Cuspium Fadum, procuratorem Iudaeae sacerdotes et primores gentis vestes sanctas poposcisse, eos autem cum ab ipso, tum a Cassio Longino, qui magnis copiis Hierosolyma venisset,

---

1) VI, 42.

2) Fasti Romani, Oxford 1850. II, 247 f.

3) p. 39.

4) Eckhel, Doctrina num. vet. Vindobonae 1794. III. 280. §. 11. cf. Zumpt. Commentationes epigraph. II, 137. Berol. 1854. J. Marquardt, Römische Staatsverwaltung. Leipzig 1873. I, 260.

5) Antiqq. Iud. XX, 1, 1.

petiise, ut sibi antea legatos ad imperatorem Claudium mittere concederent, qui eum rogarent, ut vestes sanctas retinerent. quibus Iudaeorum postulatis magistratus Romani obsecuti sunt precibusque illorum obtemperavit Claudius Caesar litteras addens ad Iudaeos scriptas a. d. IV. Cal. Iul. Rufo Pompeio Silvano coss. erant autem Rufus et Silvanus coss. suff. a. 45.

Cassium igitur Longinum iam per longius temporis spatium in Syria fuisse constat, antequam illi legati Iudaeam reliquerunt. nam tum demum legatio ad imperatorem Romanum missa est, cum Cassius Longinus ex Syria cum magnis copiis Hierosolyma venit. qua de causa eum in fine a. 44 vel principio a. 45 munus auspicatum esse pro certo habere licet. nullo vero modo quae a Iosepho hoc loco narrantur in dubium vocari possunt, quippe quae optime cum aliis, quae tradita sunt, conveniant itemque nummo illo Antiocheno anni 45/46 comprobentur. neque igitur omnino post medium a. 44 Vibius Marsus e Syria bellum Vardani minitari neque Seleucia huic dedi poterat, sed omnia quae a Tacito c. 8 et 9 narrantur ante medium a. 44 facta esse debent, non vero a. 47. inde sequitur ut Tacitus aut nomina legatorum confuderit atque 'Cassius Longinus' pro 'Vibius Marsus' legendum sit, aut ut rebus gestis non per singulis annos distributis rerum Parthicarum decursum quattuor certo annorum (45—48) exposuerit.

Quarum sententiarum priorem secutus Gutschmidius [1]) falso putat recuperatam a Mithridate Armeniam, quippe quae inter alia maximi rebus Romanis momenti fuerit, Tacitum adduxisse, ut rerum Parthicarum decursum sub a. 47 libris intexeret. talis autem praesumptio, cui nummi adadversantur quaeque gravem Tacito supponit errorem certissimis argumentis probanda est, si fidem sibi vindicare vult, neque nobis satisfacit qui illam praesumptionem per se ipsam probabilem esse existimat nisus eo, quod Tacitus memorato Mithridatis in Armeniam reditu (init. c. 8) additisque, quae antea acciderant iterum (c. 9) diceret casum Mithridati datum esse occupandi Armeniam. nam repetitio, quae urgetur, e scribendi tantum ratione prodiisse videtur necessariamque

1) p. 48.

eam fuisse puto causa, quare Mithridates rediret, interposita. omnino autem non intellego, quo quis iure fieri non potuisse credat, ut in tribus vel quattuor annis Tacitum ratio falleret de tempore, quo Armenia a Mithridate recuperata est, propterea quod haec res tanti Romanis rebus momenti fuisset, contra de nomine legati Syriae provinciae multo facilius auctorem errare potuisse. atque ego ita induxi animum, ut existimem defendendum esse Tacitum ab eo errore, ut legatorum tempora non discreverit, praesertim cum de rebus agatur, quae vix decem annos ante ipsum natum (c. a. 54) factae et, libri Ab exc. d. Aug. cum componerentur, paulo amplius dimidio saeculi peractae erant, quarum denique cognitionem eo magis habere poterat seu debebat, quoniam ad rem publicam Romanam provinciarumque administrationem pertinebant. neque omnino sibi ipsi Tacitus, ut puto, satisfecisset, ea si tantum auditu haberet comperta. porro quaedam Iosephi rationes ad chronologiam pertinentes Gutschmidium fefellisse videntur. nam Iosephi duo loci Antiqq. Iud. XX, 1, 2 et 1, 3 — quorum priore agitur de vestibus sanctis Iudaeis reddendis imperatoris Claudii iussu et litteris IV. Cal. Iul. scriptis, altero de munere Elionaeo cognomine '*Κανθηρᾶς*', summo sacerdoti, adimendo et Iosepho '*τῷ τοῦ Καμεὶ*' tradendo — cum tertio XX, 2, 1, — quo Izaten, Adiabenorum regem, Iudaeis adscriptum esse legimus — non tam arte cohaerent, ut necessario concludendum sit Izaten a. demum 45 s. 46 Iudaeorum in numerum receptum esse itemque Vardanen non nisi post illum annum contra Romanos bellum parasse Armeniamque aggressurum fuisse, ni a Vibio Marso cohibitus foret, quippe cum eo per longum temporis spatium Vardanes usus esset consilio, Izaten ut contra Romanos foederis socium sibi conciliaret. hoc autem loco cum maxime intersit, ut tempus accuratissime definiatur, atque magni sit differentia quamvis minima, Iosephi verba '*κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν*' (XX, 2, 1) non sunt urgenda. nam quo iure Gutschmidius a. 45 s. 46 Izaten Iudaeis adscriptum esse putat, eodem paulo prius eius conversionem factam esse credere licet. quod quin probemus, nihil apud Iosephum nos impedit; immo vero haudquaquam ille singulas rerum gestarum particulas iusto temporum ordine prodit. cuius rei exemplum haec sint:

quae c. 3 narrantur, quo, aeque ac c. 2, novam rem tractat Iosephus (i. e. res gestas inter Izaten et Artabanum III Parthorum regem) temporis momentum c. 1. §. 2 tam certe definitum (IV. Cal. Iul. a. 45) antecedunt, cum §. 4 illius cap. Artabanum mortuum esse memoretur, quod, ut postea videbitur, m. Aug. a. 42 factum est. his concessis simul Philostrati loco (in vita Apoll. Tyan. I, 38), qui ad rem confirmandam a Gutschmidio affertur, fundamentum est subductum.

Ex quibus omnibus iam satis mihi demonstrasse videor, hoc loco Tacitum historiae Parthicae longius temporis spatium exposuisse neque singulos per annos res gestas distribuisse.

Itaque si Seleucia urbs Vardani post a. 44 tradita non est, post a. 37/38 non defecit, cum septimo id anno factum esse constet. hac autem in re haud dubie pro certo habebis Seleuciam non nisi a. 36 defecisse, quippe cum argumentis omnino non confirmatum sit, urbem septimo post defectionem anno deditam a. demum 44 Vardani traditam esse. qua de causa, si iam ante hoc tempus illud fieri potuit, statim et defectionis tempus et deditionis cum spatio septem annorum interponendo concinere videmus [1]). Seleucia igitur, cum a. 36 defecerit, Vardani a. 42/43 dedita sit necesse est [2]).

---

1) Ex Taciti verbis 'solis Seleucensibus dominationem eius (Vardanis) abnuentibus' non bis Seleucenses defecisse concludendum est, sed ipsum verbum 'abnuere, ablehnen' eos contra Parthos iam in seditione fuisse demonstrat regisque novi tum quoque dominationem reiecisse, neque verba quae secuntur 'in quos, ut patris sui quoque defectores, ... inplicatur obsidione urbis etc.' sententiae quam edidi repugnant. verum hoc modo ea puto interpretanda esse: Scleucenses, quia Vardanis dominationem abnuebant, defectores erant Vardanis, cuius erat legitimum urbis imperium. sed cum a patre eius, Artabano III., iam a. 36 descivissent huiusque aemulum Tiridaten extulissent veterum regum honoribus et quos recens aetas largius invenerat, iure a Tacito 'patris (sui) quoque defectores' nominari poterant.

2) Eglius quoque p. 268 sqq.; 355 n. 1 contra Clintonium semel tantum Seleuciam defecisse putat et quidem a. 36 idemque contra Nipperdeyum (adn. ad Tacit. XI, 9) eam a. 43 deditam esse (ibid., p. 355 n. 2) demonstravit.

Attamen Gutschmidio [1]) Seleuciam bis defecisse a. 36 et a. 41 placuit. quam suam sententiam locis comprobari putat Iosephi Antiqq. Iud. XVIII, 9, 1. 8. 9, quos cum defectione urbis a Tacito (VI, 42) sub a. 36 memorata connectit. sed et his locis a Iosepho non tam accurate tempus definitur, ut quae tradidit praevalere nummis possint [2]). ceterum, posito Iosephum Iudaeorum caedem Seleuciae factam anno 41 attribuisse, tamen quomodo cohaereat Iosephi locus cum Taciteo explicari potest iterata Seleuciae a Parthorum rege defectione reiecta, cuius illa Iudaeis, qui Parthorum rebus favebant, caedes a Graecis Syrisque una illata initium fuerit. namque Seleucia in urbe cum tres erant gentes Graeci, Syri, Iudaei, tum tres factiones diversae, ex quibus Graeci atque Syri continuo contendebant inter se aut contra Parthorum imperium, nam. ut Tacitus (VI, 42) dicit, 'quoties concordes agunt, spernitur Parthus; ubi dissensere, dum sibi quisque contra aemulos subsidium vocant, accitus in partem adversum omnes valescit.' urbs autem a. 36 ab Artabano III desciverat eiusque aemulum Tiridaten extulerat veterum regum honoribus. is rem Seleucensem populo i. e. Syris permisit. quibus cum Iudaei paulo ante Seleuciam ingressi se coniunxissent, hae duae gentes superiores factae Graecos opprimebant; civitas autem ipsa perseverasse videtur in seditione contra Parthorum regem restitutum, quocum frustra Graeci, ut opinari licet, societatem inierunt. sed cum hi spes ad irritum redactas intellegerent, ablatum sibi pricipatum ut recuperarent, cum Syris in gratiam redire studuerunt. neque id fuit difficile; duaeque gentes veteri contra Iudaeos odio indulgentes eos incautos improviso multa caede oppresserunt. Parthorum vero regem, cuius sedes Ctesiphonte in

---

1) p. 39.

2) qua de causa neque G. Rawlinsonius The Sixth Great Oriental Monarchy, London 1873 p. 244. 246 adn. 2 recte concludit 'The Jewish troubles pecede in Josephus his account of the death of Caligula, so that apparently they fall into the year A. D. 40.' et id quidem eo magis, quod ipse Josephi verba non semper fide digna habenda esse putat. cf. p. 246 adn. 3 '— Josephus, who is not perhaps to be implicitly trusted' et p. 250.

urbe proxime Seleuciam sita erat, cum nihil curabant [1]), tum, quod postea videbitur, ita despexerunt, ut insequente anno (42) Vardanis, in quem res Parthorum translatae erant, dominationem abnuerent [2]). neque igitur omnino Seleucenses iterum a Parthis descivisse putandum est: immo vero in ea urbs perstabat seditione, quam contra Parthorum imperium a. 36 moverat, donec septimo post defectionem anno Vardani dedita est. sed aliter etiam Rawlinsonius [3]) Seleuciam Taciti auctore a. 46 Vardani deditam esse ideoque a. 40 defecisse putat, quo tamen iure omnino non intellexi. neque utrum Seleucia bis a Parthis defecerit, necne diligentius in quaestionem vocavit; at duobus locis [4]) de Seleuciae defectione loquitur nisus Taciti l. VI. c. 42 et l. XI. c. 8—9, quapropter urbem bis descivisse a Parthis existimat causa sane non allata.

Iamiam docuimus nostra quidem sententia hanc Seleuciae deditionem a. 42/43 factam esse nec multo ante Mithridaten in regnum remeasse manifestum est. sed quo tempore redierit, accuratius etiam definiri potest. discordiae inter Gotarzen et Vardanen, quas Pharasmanes, Hiberorum rex idemque Mithridatis frater, Romam nuntiavit, non nisi post mortem regis Artabani III. exortae sunt. Artabanus autem obiit m. Aug. a. 42. extant enim inter alios nummos a Parthorum regibus percussos duo, alter [5]) Artabani III, alter [6]) Vardanis, sed ambo ad eundem mensem Loum [7]) *ΓΝΤ* (a. 353)

---

1) Ioseph. l. l. XVIII, 9, 9.

2) Tacit. XI, 8.

3) p. 247 f. Anm. 2. cf. p. 251 f.

4) p. 235 et l. l.

5) cf. Lindsay. A view of the history and coinage of the Parthians, Cork. 1852. p. 63; cf. 177; 184 n. 51 (Pl. V. n. 15).

6) Mionnet, Description de médailles antiques Paris 1806—37, suppl. VIII, 445 n. 46; Longpérier, Mémoires sur la chronologie et l'iconographie des rois Parthes Arsacides, Paris 1853 p. 95 ap. Gutschmid. p. 38. dolendum quod hoc Longperieri opus inspicere non poteram, qua de causa in eis, quae Gutschmidius ex illo notavit, mihi acquiescendum erat.

7) Lindsayus l. l. p. 63; 177; 184 n. 52 primum Vardanis nummum mensi Gorpiaeo (i. e. m. Sept.) eiusdem anni attribuit.

aerae Seleucidarum [1]) (i. e. m. Aug. a. 42. p. Chr. n.) pertinentes; unde satis perspicue apparet, Artabanum III. regem iam m. Aug. a. 42 mortuum fuisse. dein, ut iam supra demonstravi, de imperio duorum fratrum certamen Parthorumque discordiae causae erant, quare Mithridates rediret. quapropter non nisi post exortas interiores in Parthorum regno perturbationes i. e. post m. Aug. a. 42 rediit atque Taciti historiae Parthicae particula XI, 8—10 a m. Aug. a. 42 initium capit.

Obstant huic de Mithridatis in regnum reditu sententiae ea, quae protulerunt viri docti: Clintonius, Nipperdeyus, Gutschmidius, Eglius, Rawlinsonius. sed hoc loco Eglium tantum refellamus necesse est, cum duarum Clintonii sententiarum inter se repugnantium alteram, qua Mithridatis reditus, quod postea etiam Gutschmidio [2]) et Rawlinsonio [3]) placuit, ad a. 47 [4]) refertur, argumentatione supra instituta iam redarguere studuerim, altera vero, quae reditum illum a. 41 [5]) attribuit, Eglii iudicio refutato simul refutetur. sed quae Nipperdeyus [6]) sibi persuasit Mithridaten a. 43 in regnum remeasse falsa esse infra demonstrabitur.

Primum Eglius reditum Mithridatis ad a. 41 [7]) referens eo nititur, quod Tacitus inter illum Mithridatis reditum et Seleuciam Vardani deditam satis multas res interponat, quibus si aliae temporum rationes accedant, non sine iure sumere nobis liceat Mithridaten non demum a. 43, quo Seleu-

---

verum tamen Eglius falso scribit Lindsayo auctore l. l. p. 63 Artabanum m. Aug. a. 353 aer. Seleuc. (m. Iun. a. 42 p. Chr. n.) mortuum esse atque Vardanis nummum ad posterum mensem (Iulium) pertinere.

1) Aera Seleucidarum initium capit a. m. Oct. a. 312 a. Chr. n., *ΓNT* (a. 353) aer. Seleuc. = 41/42. p. Chr. n. cf. Ideler. Handbuch der mathematischen und technischen Chronologie. Berlin 1852. II, 552 f.

2) p. 43 sq. 48.

3) p. 252 sq. cf. p. 263.

4) II, 247, nisus Taciti l. XI. c. 8,

5) I, 24 s. a. 41; nisus Dionis l. LX. c. 8, 1.

6) ad Tacit. XI, 8.

7) p. 272; cf. p. 267 sq.; 355 n. 3. 4.

cia Vardani dedita sit, in regnum remeasse [1]). qua in re argumento utitur [2]) Dionis [3]) quodam loco, quo Mithridaten a. 41 revertisse probetur. sed ex hoc loco prorsus mihi falsa eruisse videtur. nam Dionis verba Tacitique initium c. 8 paulo accuratius examinando apud Dionem sane reperiemus imperatorem Claudium Mithridaten (a. 41) dimisisse, ut regnum sibi recuperaret (*πρὸς ἀνάληψιν τῆς ἀρχῆς*), apud Tacitum autem Mithridaten non nisi monento Claudio in regnum remeasse, cum frater eius Pharasmanes maximas illas Parthorum regni perturbationes Romam nuntiavisset. magni vero momenti est utrumque horum auctorum non praetermisisse, quin C. Caesaris iussu Mithridaten vinctum esse adderet, eamque re vera Mithridatis dimittendi causam fuisse, ut iniuria a Caligula illi illata a Claudio compensetur, plane mihi persuasum est [4]). deinde ut ex Taciti verbis minime, concludi potest Claudium Mithridaten ea de causa dimisisse ex captivitate, quia Pharasmanes discordare Parthos nuntiavisset eamque ob rem Armeniam facile eis eripi posse, ita etiam neque ex Dioneis neque ex Taciteis sequitur, ut Mithridatis dimissionem et Pharasmanis nuntios, qui quidem illi redeundi casum dederint, in idem tempus incidere putemus. sed aliud argumentum in promptu est. morte Artabani III, Parthorum regis, (m. Aug. a. 42) adducimur, ut has res separemus ; Dio autem in rebus enarrandis Mithridatis dimissionem, Pharasmanis nuntios, Mithridatis reditum leviter complexus esse videtur, ita ut eius reditum dimittendi fuisse causam, quae non fuit, eluceat, contra quae vera eum dimittendi fuerit causa, ut iniuriae C. Caesaris placarentur, eam quodammodo obscuratam esse appareat [5]). deinde

---

1) cf. p. 270.

2) p. 271.

3) LX, 8, 1.

4) Quae praecipue ex Dione cognoscimus. nominantur enim hoc loco ab eo deinceps sex reguli, quos Claudius imperium adeptus beneficiis affecit. quorum in duos priores, Antiochum, regem Commagenorum, atque ipsum Mithridaten Claudii comitas satis perspicue opponitur asperitati Caligulae.

5) Etiam Gutschmidius p. 48, quod postea inveni, Dionea haud aliter intellexit.

res gestae a Tacito inter Mithridatis reditum in regnum et Seleuciam Vardani deditam interpositae si accuratius perlustratae erunt, neque tot neque tantopere eas in longum productas esse, quae utique temporis duorum fere annorum spatio (inde a. m. Sept. a. 42 — medium a. 44) fieri non potuerint, unusquisque sibi persuadebit. Tacitus tempore reditus (i. e. Mithridatis itineris in Armeniam facti) addito eas breviter ita enarrat: 'tunc distractis Orientis viribus .... casus Mithridati datus est occupandi Armeniam vi militis Romani ad excindenda castella ardua, simul Hibero exercitu campos persultante. nec enim resistere Armenii fuso . . . Demonacte praefecto. paululum cunctationis attulit rex minoris Armeniae Cotys, . . . dein litteris Caesaris coërcitus, et cuncta in Mithridaten fluxere, atrociorem, quam novo regno conduceret.' sed tantum abest, ut cunctationem quam attulit Cotys rex Romam nuntiatam esse atque inde Caesarem litteras illi misisse existimemus, quibus coërceretur, ut Mithridaten iam Roma profectum statim huiusce modi litteris, quibus magistratus Romani ac reguli, populi Romani socii, eum adiuvare iuberentur, a Clandio instructum fuisse putemus. ceterum si re vera eas litteras Roma demum allatas esse posueris, tamen haud magni hoc momenti est, cum res illas gestas annorum spatio fere duorum attribuerimus. neque enim omnino quisquam recte mihi concludere videtur, si eas ante Seleuciam deditam (a. 42/43) accidisse arbitratur, verum etiam ad a. 43 et 44 illae referri possunt; nam ante medium a. 44 tota Mithridaten Armenia potitum esse necesse non est putemus, quippe quem tum demum Vardanes illic aggredi moliretur. licet igitur credere reconciliationem fratrum Gotarzis et Vardanis huiusque dominationem atque Seleuciae Vardani deditionem eodem tempore facta esse, quo Armeniae occupationem, quam inter et belli minas a Vibio Marso iactatas illa omnia a Tacito interposita sunt. quocirca expeditio a Mithridate in Armeniam suscepta eiusque prosperi successus non minus quam insidiae popularium, quas Gotarzes Vardani patefecit [1]), ad fratres reconciliandos valuisse videntur.

Ex his manifestum est, quot et quantas habeat dubi-

1) Tacit. XI, 9.

tationes Eglii [1]) sententia, qui singula certo anno, i. e. a. 41 et 42, attribui vult, atque quam incertis ille in rebus per singulos annos distribuendis usus sit argumentis, cum rerum quam instituit distributionem quamvis non in singulis probatam, tamen verisimilem et Taciteae narrationi accommodatam esse dicat [2]). huc accedit, quod res a Tacito narratas partim plane falso eum cogitatione depinxisse videmus scribentem [3]): Gotarzen vere a. 42 solum Parthorum regnum adeptum ad recuperandam Armeniam, quae superioribus annis amissa esset, bellum paravisse. pugna autem instante Parthos duces a Gotarze aversos arcessivisse Vardanen, qui a. 42 Bactrianis e campis ad Tigrim venisset Seleuciaque a. 43 potitus esset. sed cum hac sententia conferamus Taciti locum (XI, 9), de quo agitur: 'at Parthi imperatores cum pugnam pararent, foedus repente iciunt cognitis popularium insidiis, quas Gotarzes fratri patefecit; . . . . . potiorque Vardanes visus retinendo regno: at Gotarzes . . . . . penitus in Hyrcaniam abiit.' nemini, ut puto, dubium erit, quin his verbis nihil aliud significetur, nisi Parthos imperatores (i. e. Gotarzen et Vardanen) iterum pugnam parasse alterum contra alterum, non vero ad Armeniam occupandam. ne ullo quidem verbo indicatur Parthorum exercitus duces animis a Gotarze abalienatis Vardanen accivisse, sed Tacitus hoc loco de insidiis tantum loquitur Parthorum popularium sive procerum in utrumque vel solum in Vardanen factis, quas cognitas Gotarzes fratri patefecit.

Iam supra probatum est certamen inter Gotarzen et Vardanen fratres de summa imperii non nisi post mortem Artabani III. patris exortum esse. Gutschmidius [4]) autem perturbationibus a compluribus adversariis commotis Artabanum adductum esse putat, ut unum pluresve ex filiis, quibus successionem regni servaret, se vivo principatus participes redderet. neque tamen ullo hanc suam sententiam mihi quidem confirmasse videtur argumento, nam amplissimus status

---

1) p. 272 sq.
2) cf. p. 273.
3) ibid.
4) p. 36.

(σατράπης τῶν σατραπ[ῶν] et *Γεόποθρος*), in quo Gotarzen collocatum esse vidimus in inscriptione ad montem Bisitun [1]) rupi incisa non sufficit ad rem comprobandam neque Acbari Edessaeorum regis litterae, quas Moses Chorenensis [2]) nobiscum communicat, scriptas ad Nerseh (Vardanen?), filium Artaschês II (i. e. Artabani III.), quem patre vivo Assyriae provinciae praesidem fuisse Moses dicit, quidquam ad rem valent, quippe quae ab ipso Gutschmidio spuriae habentur quamvis e sincero quodam fonte derivatae. at sententiae supra editae Eglius priore loco [3]) assentitur, altero vero in addendis [4]) perperam hoc ipsum refutat: nullo enim modo fieri posse dicit, ut res a Tacito (XI, 8 et 9) narratas inter Artabani mortem et Vardanis in imperio successionem interponantur; Gotarzis igitur cum Vardane certamen de summa imperii iam longius temporis spatium ante Artabanum mortuum exarsisse. atque hac in re intervallum Eglio auctore unius saltem mensis est, cum Artabanum m. Iun. a. 42 mortuum et Vardanen m. Iul. eiusdem a. regnum adeptum esse scribat, quae tamen res re vera eidem mensi (Aug. a. 42) attribuendae sunt. ceterum hoc tempore non iam recte credas Vardanen in regno successisse fratri. namque id non prius accidisse iure contendere licet, quam ille cum Gotarze fratre in gratiam rediit (XI, 9 fin.). quid? nonne verisimile est Vardanen a nonnullis Parthorum proceribus accitum contra crudelem Gotarzen, quem biduo tribus milibus stadiorum percursis exterritum proturbavisset, semet ipsum iam Parthorum regem iactasse eamque ob causam nummos feriendos curavisse? perbene haec spatio post Artabanum mortuum brevissimo fieri potuerunt. quod si ita est, perpaucae intercedunt res inter Artabani mortem et tempus, quo primos Vardanis nummos percussos esse constat: Gotarzes patre mortuo regnum adeptus inter pleraque saeva necem fratri Artabano coniugique ac filio eius paravit, unde perterriti Parthorum proceres accivere Vardanen, qui fratrem proturbavit. quae res quin eodem

---

1) C. I. G. 4674.
2) Historia Armenica II, 33 ed. Le Vaillant de Florival. Paris.
3) p. 272.
4) p. 360.

mense, quo Artabanus III. mortuus est, accidere potuerint, nemo dubitabit. Eglius autem Tacitum hoc loco haudquaquam recte intellexisse videtur. nam cum dicat: tandem Gotarzen Artabano seni, cuius taedio captus fuisset, familiaeque eius necem paravisse (m. Iun. a. 42), quibus Parthorum proceres commoti essent, ut Vardanen contra crudelem Gotarzen accirent (qua de causa iam nummus Vardanis e m. Iul. a. 42 extaret), non nisi ea cogitasse potest quae Tacitus XI, 8 narrat: 'nam Gotarzes inter pleraque saeva necem fratri Artabano coniugique ac filio eius paraverat; unde metus in ceteros, et accivere Vardanen.' sed hac in re temere Eglius Artabano III, Gotarzis patri, tribuit, quae Tacitus de Artabano, Gotarzis fratre, tradidit. atque ne de illa quam tulit de Mithridate redeunte in regnum a. 41 sententia praeiudicata desistere cogeretur, longius iam temporis spatium ante Artabani III. mortem de imperio inter Gotarzen et Vardanen certamen exarsisse itemque Vardanen a Gotarze victum esse existimat, etiamsi per idem tempus nummi Parthorum Artabani effigie signati essent. sed earum rerum neque apud Tacitum neque apud quemlibet alium auctorem ulla reperiuntur vestigia.

Quae cum ita sint, neminem fore puto, qui dubitet, quin falso Eglius Mithridaten a. 41 in regnum remeasse iudicaverit.

Singularum autem Taciteae narrationis (XI, 8—9) rerum seriem secundum ea, quae supra disputavi, compositam ut facilius perspicias, tabulam chronologicam in fine huius primae quaestionum partis addidi.

Iamiam vidimus hanc Taciti historiae Parthicae particulam (XI, 8—10) annis 42—48 attribuendam esse initio inde a m. Aug. a. 42 capto. sed restat, ut ea, quae c. 10 a Tacito narrantur, in disceptationem vocemus.

Seleucia urbs Vardani a. 42/43 dedita est. 'exin', ita legimus apud Tacitum [1]), 'validissimas praefecturas invisit (Vardanes); et recuperare Armeniam avebat, ni a Vibio Marso, Syriae legato, bellum minitante cohibitus foret.' Vibium autem Marsum ineunte a. 45 provinciae Syriae non iam praesidem

1) XI, 10.

fuisse demonstravi. ex quo sequitur, ut medio a. 44 praeterlapso ex Syria bellum Vardani non minitatus sit; Parthorum ergo regem, ut Armeniam recuperaret, non multo post Seleuciam deditam arma cepisse a. 43/44 consentaneum est. argumenta vero, quibus Vardanen extemplo illa urbe tradita contra Armeniam bellum parasse Eglius [1]) probare vult, nihil ad rem valent. hanc enim terram etsi Parthorum maxime intererat in potestatem suam redigere, tamen non necessario postulatur, ut illico Seleucia dedita Parthorum regem Armeniam aggressurum fuisse arbitremur: 'exin' verbum apud Tacitum omnino incertius dictum est. neque quod Eglius Gotarzen quoque statim contra Armeniam arma cepisse contendit ullo modo (ut iam supra vidimus) stare potest neque aliter, ut infra demonstrabitur, de Vologaesis, Parthorum regis, expeditione a. 51 in Armeniam facta iudicandum est.

Res autem gestae, quae secuntur: seditio a Gotarze renovata, alterum de imperio fratrum certamen, ex quo Vardanes victor rediit, merito Eglius [2]) putat chronologiae ratione habita singulatim definiri non posse. at quo anno Vardanes mortuus sit, nummis docemur. supersunt enim Lindsayo [3]) teste ex a. *ZNT* (357) aerae Seleuc. (a. 45/46 p. Chr. n.) nummi et Vardanis et Gotarzis atque, ut per Longperierum [4]) certiores fimus, etiam ex eodem mense, Panemo, a. *ZNT* (m. Iul. 46), unde ille concludit, Vardanen hoc anno (45/46) mortuum atque Gotarzen regnum adeptum esse, cuius etiam nummi annis *ΘNT* (358), *ΞT* (360), *ΑΞT* (361), *ΒΞT* (362)

---

1) p. 273.

2) ibid.

3) l. l. p. 70. cf. p. 177; 184 n. 57 et 58. (Pl. V. n. 17), p. 177 et 184 n. 53. 54. 55. 56 (Pl. V n. 16) Vardanis nummi etiam ex a. 354. 355. 356 aer. Seleuc. describuntur.

4) p. 96 ap. Gutschmid. p. 47. cf. Lindsay. p. 184 n. 58 (Pl. V. n. 17). de altero Gotarzis nummo apud Longperierum p. 109 e mense Hyperberetaeo a. *ZNT* (m. Oct. a. 45) Gutschmidio auctore dubitari potest. quod si re vera hic nummus Gotarzi attribuendus est, nihil eo aliud probatur, quam Gotarzen certamine de imperio cum fratre Vardane renovato non praetermisisse, quin regium ius nummos feriendi sibi vindicaret. haud multo aliter hunc Gotarzis nummum Gutschmidius p. 49 sq. interpretatus est.

i. e. 46/47—50/51 percussi extant, Gutschmidius [1]) autem Gotarzen in satrapiis ad septentriones vergentibus eodem tempore quo Vardanen in altera parte regni nummos feriendos curavisse existimat huiusque mortem anno 48 attribuit. sed cum Vardanis nummi mensem Iulium a. 46 non excedant, paulo post eum occisum esse multo verisimilius est. atque Taciti quoque narratio optime cum his convenit, quippe cum nullo modo, id quod Eglius [2]) intellexit, Vardanis mors anno 48 a Tacito attribuatur, sed in novissima c. 10 parte chronologia prorsus neglecta sit. attamen ille hanc priorem sententiam postea [3]) emendavit Vardanisque mortem ad a. 45/46, quod nummis comprobatur, rettulit. neque Clintonius [4]) recte de Vardanis morte iudicavit, cum scribat: 'that message (of the Parthians) arrives at Rome in A. D. 49: Tacit. XII, 10; which will carry back the death of Vardanes into the beginning of the year 48.' verum enimvero ex eo, quod Parthorum legati, qui Meherdaten a Claudio regem peterent, initio a. 49 Romae aderant, concludi non potest Vardanen initio praecedentis anni interfectum esse. simul his reicitur, quod ille [5]) Vardanen, qui Philostrato in vita Apoll. Tyan. auctore [6]) imperium per quattuor fere annos obstinuisset, a medio a. 44 usque ad initium a. 48 regnasse existimat. ceterum eorum, quae apud Philostratum leguntur, si computationem inierimus ipso Clintonio [7]) duce, Vardanen amplius quattuor annos regem fuisse reperiemus. sed quae a Philostrato tradita sunt, ea non magni facienda esse, quis est, qui nesciat? qua de causa eo magis mirandum est, Gutschmidium [8]), quamvis ipse saepius haud magnam huic scriptori fidem habendam esse eumque aperte modum excedere contenderit, tamen Philostrati de Apollonii Tyanensis cum Vardane,

---

1) p. 49.
2) p. 273 sqq.
3) in addend. p. 361.
4) II, 248 s. v. Gotarzes.
5) ibid.
6) I, 28 (cf. I, 21); I, 22. 40; III, 50. 52—58.
7) I, s. a. 45. 3.
8) p. 38 sqq.

Parthorum rege congressu narratiunculas ad verbum fere excerpsisse atque nonnulla ex eis momenta sumsisse, quibus Parthorum regum, Gotarzis et Vardanis, chronologiam comprobaret. huc accedit, quod irritam, ut mihi quidem videtur, operam dedit ille [1]) in enarrandis quibusdam Philostrati locis ad chronologiam sive geographiam pertinentibus, qui cum aliis quae tradita sunt consentiunt, ut doceret Philostratum multis in rebus se bene eruditum praestare ideoque omnino eum non esse neglegendum. nemo est, ita enim mihi persuasi, qui dubitet, quin etiam in rebus fictis et ementitis aliquid veri insit. haec autem lex observanda est: fieri nullo modo posse, si quis scriptor summatim malum se praebuerit, ut singula, quae tradidit, probes nisi ea vera esse alioqui demonstraveris, eisque ut ullam omnino fidem habeas, si alia rerum momenta eaque gravissima ac certissima contradicant. in eo igitur si perseveramus, quod nummis docemur, nihil prorsus Gutschmidii [2]) opus est coniecturis, quibus explicare studet, quomodo fieri potuerit, ut aliquot Gotarzis nummi ex eis annis extent, quibus Vardanes regnum obtinuerit. haud dubie autem ex eo, quod Vardanis nummi mensem Iul. a. 46 non excedant, hoc eum mense interfectum esse si quis concluderit, quia simplicissimum ideoque optimum videtur, a vero non aberraverit.

Occiso Vardane primum Parthi inter se ambigebant quis in regnum acciperetur. dein Gotarzes iterum regnum adeptus per saevitiam ac luxum eos adegit mittere Romam legatos, qui Meherdaten regem expeterent. omnia haec in tempus post Vardanen interfectum inde a m. Iul. a. 46 usque ad finem a. 48 cadere ex eo satis elucet, quod, ut iam supra demonstravi, legati illi Parthorum iam initio a. 49 Romam venerunt vel ibi senatum ingressi sunt.

In continuata igitur narratione Taciti particula XII, 10—14 cum rectissime ab a. 49, quo debebat, initium capiat, hoc tantum quaerendum est, utrum quo anno sit orsa, eodem quoque terminetur necne. atque vel primo obtutu Tacitum hoc loco plures comprehendisse res docemur, quam quae uno

---

1) cf. p. 43.
2) p. 49.

anno fieri potuerint, quod ut demonstretur, hiemem satis erit memoravisse, de qua fine c. 12 et initio c. 13 agitur (i. e. hiemem anni 49/50)[1]). qua de causa hoc unum restat, ut investigemus, quoad usque haec particula annum 49 egrediatur; qua in re sequentem historiae Parthicae particulam (XII, 44 sqq.) necesse est examinemus. incipit eam Tacitus tempore accurate definito verbis: 'eodem anno — i. e. a. 51, ut ex c. 41 cognoscitur — bellum inter Armenios Hiberosque exortum Parthis quoque ac Romanis gravissimorum inter se motuum causa fuit. genti Parthorum Vologaeses imperitabat etc.' eum post mortem Vononis patris regnum adeptum esse Tacitus in fine superioris particulae (c. 14) memoraverat. artissimo igitur vinculo ambas particulas contineri videmus. hoc vero ex Tacito parum liquet, utrum in Vologaesen I. a. demum 51 res Parthorum translatae sint necne. contra particulam alteram (XII, 10—14) annum 51 non egredi manifestum est. qua in re iterum Parthorum regum nummi superstites haud parvi momenti sunt. Gotarzis extant nummi inde a m. Panemo *ZNT* (m. Iul. a. 46) usque ad m. Daesium *BΞT* (m. Iun. a. 51)[2]). Vononis II. post eum acciti in regnum iam e mense Gorpiaeo eiusdem anni (m. Sept. a. 51)[3]) nummus servatus est, unde sequitur, ut Gotarzes inter mensem Iun. et Sept. a. 51 mortuus et Vonones II regnum adeptus sit. is autem a. *ΓΞT* (a. 363 aer. Seleuc. i. e. 51/52) regnavit Lindsayo[4]) auctore atque, ut Lagoyus nobiscum communicat, tetradrachma non solum anni *ΓΞT*, verum etiam anni *ΔΞT* (364 aer. Seleuc. i. e. 52/53) extant Vononis II. effigie signati[5]) simulque ex a. *ΔΞT* primum Vologaesis I.

1) Etiam Gutschmidius p. 52 eius particulae res gestas annum 49 excedere putat.

2) Lindsay p. 177; 184 n. 58 (Pl. V n. 17) 59. 60 (Pl. V n. 18) 61. 62. de Longpérier p. 97 ap. Gutschmid. p. 52; Egli p. 360 sq.; Mionnet V, 666 n. 65; suppl. VIII, 447 n. 49; de Lagoy, Revue numismatique, mai et juin 1853 p. 204, qui Gotarzis nummos ad a. 362 pertinentes postremos huius Parthorum regis esse affirmat.

3) cf. Longperier. p. 106 ap. Gutschmid. l. l.

4) p. 70; 177; 185 n. 63 (Pl. VI n. 19).

5) Lindsayus atque Rawlinsonius p. 261 Vononis II. tetradrachmorum a. 364 cognitionem habuisse non videntur.

tetradrachmum [1]) servatum est, unde ille concludit [2]) Vononen II. hoc anno (52/53) mortuum esse. cui tamen rei adversatur Mionnetus [3]), qui neglectis Vononis II. nummis ex annis ΞΤ (360), ΑΞΤ (361), ΓΞΤ (363) i. e. 48/49, 49/50, 51/52 prima Vologaesis I. tetradrachma profert. fac hoc verum esse, sine ulla dubitatione cum Gotarzen et Vologaesen I. una regnasse inde ab a. 360—362 aer. Seleuc. (48/49—50/51), tum Vononen II. et Vologaesen I. inde ab a. 362—364 eiusd. aer. (50/51—52/53) necesse est. sed ista vehementissime Tacito repugnant. quod uno tantum exemplo liceat demonstrare: filium (Vologaesen) ante patrem (Vononen) una cum Gotarze regnum obtinuisse vel cum eo de imperio certamen iniisse statuendum esset ipso tempore, quo Meherdates contra Gotarzen a Parthis in regnum arcessitus est. itaque iamdudum viri docti rei numismaticae peritissimi, inter quos Longperierus [4]) et Bartholomaeius [5]) Mionneto contradicentes annum 362 aer. Seleuc. (50/51) postremum Gotarzis regni fuisse dixerunt atque a. 364 eiusd. aer. (52/53) Vologaesen I. regnum adeptum esse docuerunt.

Sed nequaquam hoc modo omnia, quae Tacito repugnant, in ordinem rediguntur, quippe cum tam perspicue atque accurate iam a. 51 ille Vologaesen I. genti Parthorum imperitantem faciat. attamen hoc falso a Tacito traditum esse persuasum habeas. in hunc autem errorem eo facilius incidere potuit, et quod ipse ille Vologaeses in bellis inter Parthos ac Romanos sequentibus annis gestis omnium suae gentis maxime eminebat, et quod etiam fine eius anni (51) Armeniam invasit, sane nondum regnum adeptus, sed dux a patre, Vonone II., missus.

Falso quoque Clintonius [6]) ab a. 51 regnum Vologae-

---

1) cf. Lindsay p. 177; 185 n. 64 (n. 65. 66 (Pl. VI. n. 20) 67. 68. 69 Vologaesis nummi ex a. 365. 367. 368. 369 memorantur).

2) l. l. p. 206. cf. Gutschmid. l. l. Vologaesis nummum ex a. ΑΞΤ etiam Mionnetus suppl. VIII, 449 n. 56 adnotavit.

3) suppl. VIII, 448 n. 53; 449 n. 54. 55.

4) cf. Lagoy l. l. p. 205 adn. 2 et Gutschmid. l. l.

5) Mémoires de la société d'archéologie et de numismatique. Petersburg 1848. II, 60. 64.

6) II, 248 s. v. Vologaeses I.

sis I. initium cepisse putat nisus Taciti loco supra laudato (XII, 44): fieri enim nullo modo potuit, ut Vologaeses I. regnum aut ante tres ultimos a. 52 menses aut post m. Oct. a. 53 adipisceretur.

Summam igitur ex eis quae disputavi si facimus, particulam historiae Parthicae Armeniaeque (XII, 10—14) inde ab initio a. 49 usque ad finem a. 52 s. initium a. 53 pertinere videmus. dein non solum certissimum est Gotarzen intra m. Iun. et Sept. morbo obiisse atque Vononen II. mense Oct. a. 52 inter vivos fuisse, verum etiam clarissimis indiciis probatur certamen inter Gotarzen et Meherdaten ad partem quoque a. 50 referendum esse. nam Tacito auctore Meherdates Armeniam petivit hieme iam instante eiusque exercitus nivibus et montibus fessus campos propinquabat (c. 12 et 13). ea autem, quae secuntur (c. 13 et 14), non omnia a. 49 hiberno tempore fieri poterant, sed et Taciti narratione et ipsa rerum copia aperte indicatur illud certamen per longius temporis spatium continuatum esse. Meherdaten igitur Lindsayus [1]) a. 49 s. 50 multo rectius, quam Eglius [2]) a. 49 regnasse existimat; neque minus Eglii tabula chronologica rerum gestarum, quae duabus Taciti particulis historiae Parthicae Armeniaeque continentur, nonnullis locis emendari potest.

Tabula chronologica

inde a. m. Iun. a. 42 usque ad finem a. 52 s. initium a. 53 p. Chr. n.

41		Mithridates, Armeniorum rex, a Claudio dimittitur.
42	m. Aug.	Artabanus III., Parthorum rex, moritur. Gotarzes eius filius regnum adeptus saevit in Parthos necemque fratri Artabano coniugique ac filio eius parat. Vardanes, alter Artabani III. filius, in regnum accitur, qui Gotarzen exterritum proturbat.
	inde a. m. Sept.	Pharasmanes, Hiberorum rex idemque Mithridatis frater, Parthos discordare Romam nuntiat. Mithridates monente Claudio in Armeniam remeat eam recuperatus.

1) p. 154.
2) cf. tab. chronol. p. 275.

42/43	inde a. m. Sept. a. 42.	Vardanes proximas praefecturas corripit solis Seleucensibus dominationem eius abnuentibus, quorum urbem obsidione premit, donec eam omittere Bactrianosque apud campos castra conferre cogitur a Gotarze Daharum Hyrcanorumque opibus aucto. Parthi imperatores pugnam renovant, sed repente foedus iciunt cognitis popularium insidiis. Gotarzes fratri regnum concedit.
42	fine anni	Vardani deditur Seleucia.
43	s.	
43/44		is ad occupandam Armeniam bellum parat, sed a C. Vibio Marso, Syriae legato, bellum minitante, cohibetur.
42	inde a. m.	Mithridates Armeniam invadit. Demonacte, Parthorum praefecto, fuso Armenii resistere non ausi sunt; at paululum cunctationis rex minoris Armeniae Cotys affert, dein cuncta in Mithridaten fluunt.
43	Sept.	
44		
44		bellum denuo suscipitur inter Gotarzen et Vardanen, qui redit victor.
45		
46		
	paulo post m. Iul.	Vardane interfecto res Parthorum turbantur iterumque Gotarzes imperio potitur.
48		Parthorum proceres Gotarzes rex per saevitiam et luxum adigit legatos Romam mittere, qui Meherdaten regem peterent.
49	initio anni	legati Romae senatum ingrediuntur. Meherdates Claudio monente in regnum remeat atque
	exeunte auctumno	Armeniis montibus superatis
	hieme et	cum Gotarze de imperio decertat, sed proditione Izatis, Adiabenorum, et Acbari, Arabum regis, deminutus pugna a Gotarze vincitur captusque truncatur.
50		
51	intra m. Iun. et Sept.	Gotarzes morbo obit. Vonones II. in regnum accitur.
52	m. Oct., Nov., Dec. s.	Vonones II. moritur. in filium eius Vologaesen I. res Parthorum transferuntur.
53	initio anni	

II.

De rerum statu in Armenia ambiguo.

inde ab a. 51—57 p. Chr. n.
Tacitus Ab exc. d. Aug. XII, 44—51; XIII, 6—9.

A. De bello inter Hiberos Armeniosque gesto.

Tacitum iam supra vidimus particulam XII, 44—51 historiae Parthicae Armeniaeque, quae praesertim hoc tempore ob artissimum contextum separari nequit, eo temporis momento incepisse, quo eam libris Ab exc. d. Aug. intexuit, i. e. a. 51; deinde hoc anno Vologaesen I., Vononis II. filium, Parthorum nondum regnum obtinuisse atque priorem particulam (XII, 10—14), cuius in fine Vologaesen I. regnum adeptum esse memoratur, annos 49—52/53 complecti iam ante demonstratum est. quod si nihilominus partim res a. 51 et 52 actas Vonone II. regnante hoc loco pertractabimus, nemo mirabitur propter errorem a Tacito in statuendo regni Vologaesis I. initio commissum.

Bellum inter Hiberos atque Armenios gestum haud dubie vere a. 51 incepit, neque causam apud Tacitum invenimus, cur non finitum fuerit, antequam hiems appeteret. nam omnes res eo bello gestae perbene vere tantummodo uno atque aestate perfici potuerunt, quod iam Eglius [1]) dilucide demonstravit.

B. De bello inter Parthos Hiberosque gesto.

Bellum inter Hiberos Armeniosque exortum Parthorum cum Hiberis belli causa erat. legimus enim apud Tacitum (XII, 49. 50) Helvidium Priscum redire in Syriam iussum esse, ne initium belli adversus Parthos existeret, atque Volo-

---

1) p. 276 sq.

gaesen casum invadendae Armeniae obvenisse ratum contraxisse copias, quo fratrem Tiridaten in regnum deduceret. quam ob rem Parthos Armeniam invasisse bellumque incepisse exeunte aestate s. auctumno a. 51 necesse est putemus. quod iam recte Eglius [1]) observavit. impetu autem a Parthis facto Hiberi resistere ausi non sunt; Artaxata et Tigranocerta urbes a Vologaese occupatae sunt, sed atrox hiems eum incepta omittere perpulit. nihil autem nos impedit quominus eam arbitremur fuisse hiemem a. 51/52.

Contra Nipperdeyus [2]) hiemem illam anno 52/53 attribuit (falso Eglius [3]) 53/54 edidit) atque finem Taciteae particulae ad a. 54 pertinere putat [4]). quarum sententiarum prior plane neglegenda est, cum ex temporis spatio, quo hanc particulam refert, Nipperdeyus hiemem aliquam sibi sumat argumento non allato, neque minus alteram, si rerum huius particulae seriem atque contextum inter hanc et sequentem (XIII, 6—9) accuratius consideraverimus, falsam esse elucebit.

Iam enim supra dictum est, omnia, quae a Tacito l. XII. inde a c. 44 usque ad hiemem c. 50 memoratam referuntur, in a. 51 cadere, etiamsi Eglio non assentieris, qui inter alia argumenta id quoque affert [5]), verisimile esse Vologaesen Armeniam invasurum usque ad aestatem a. 52 certe non cunctatum esse, perinde ac Gotarzes quoque et Vardanes statim Armeniae recuperandae causa bellum paravissent. haec enim partim falsa esse, partim argumentis carere iam vidimus. sed cum ab Eglio [6]) quam evidentissime demonstratum sit, tantum abesse, ut res a Tacito c. 50 et 51 huius libri narratae ad a. 51—54 pertineant, ut ver vel aestatem a. 52 omnino non excedant, hanc rem iterum pertractare necesse non videtur. attamen hac re Nipperdeyi sententiam haudquaquam plane refutaveris, sed magni potius refert, ut intellegatur, quomodo c. 51 l. XII. atque historiae Parthicae

---

1) p. 276 sqq.
2) ad Tacit. XII, 50.
3) p. 278.
4) ad Tacit. XII, 51.
5) p. 278; cf. adn. 2.
6) p. 278.

Armeniaeque sequens particula (XIII, 6—9) inter se cohaereant. et primam quidem in speciem minime cohaerent: qua ipsa re Nipperdeyus ad eam quam edidit [1]) sententiam videtur perductus esse. incipit autem continuata historiae Parthicae Armeniaeque narratio l. XIII. c. 6 hisce verbis: ‘fine anni — i. e. anni 54, cum respiciant haec verba ad consules a. 54, quos Tacitus l. XII. c. 64 memorat — turbidis rumoribus prorupisse Parthos et rapi Armeniam allatum est, pulso Radamisto, qui saepe regni eius potitus, dein profugus, tum quoque bellum deseruerat’. sed et in his Eglium [2]) recta sensisse concedendum est; nam verbis ‘saepe regni eius potitus (Radamistus), dein profugus’ satis superque contextus inter duas illas particulas reficitur, cum haec verba ad duorum annorum intervallum inter particulas XII, 44—51 et XIII, 6—9 pertineant. quo posito atque concesso nihil quoque causae est, quare cum Nipperdeyo [3]) verba ‘tum quoque bellum’ in ‘tum bellum quoque’ commutemus.

C. De discordia inter Parthos Romanosque exorta.

Antequam fine a. 54 turbidi illi rumores ex Armenia Romam allati essent, Tacito auctore Armeniorum legati causam gentis oraturi ad Neronem admissi sunt (XIII, 5). haec igitur legatio aestate vel auctumno a. 54 Romam venit, nam Neronem a. d. demum III. Idus Oct. eius anni principatum adeptum esse constat. sed ut ex Tacitea narratione facile cognosci potest, Armeniorum legati Romam non missi erant, quod Parthi rursum prorupissent Armeniaque ab eis raperetur. ex quo elucet Parthos non ante discessum legatorum Armeniam invasisse.

Rumoribus illis exterritus Nero suppleri Orientis legiones numerumque copiarum augeri iussit et Cn. Domitium Corbulonem, cuius virtus et prudentia in Germania iam spectata erat, parti copiarum praeposuit, remanente altera earum parte

---

1) ad Tacit. XII, 51; cf. ad Tacit. XIII, 6.
2) p. 279 sq. cf. p. 355 n. 5.
3) ad Tacit. XIII, 6.

apud C. Ummidium Durmium Quadratum, Syriae legatum. bellum igitur Romae expectabatur adversus Parthos in posterum annum, quare haud dubie iam hieme a. 54/55 ea omnia ad bellum parata sunt Corbuloque in Syriam profectus est. interea autem Vardanes seditione facta Vologaesen patrem ut Armenia abscederet compulerat. quod cum hieme a. 54/55 vel vere a. 55 factum sit, certe ea quae continentur c. 9 anno 55 vel potius posteris quoque annis attribuenda sunt.

Inprimis hoc loco notandum est, quod Tacitus ipse in fine huius particulae historiae Parthicae se annum supra (c. 6) designatum egressum esse affirmat verbis 'quae in alios consules egressa coniunxi'. ad quod vero temporis spatium ea particula pertineat, cum accuratius non indicetur, sequentem particulam (XIII, 34—41) adeamus necesse est. incipit eam Tacitus medio c. 34 anno accuratissime definito verbis 'eius anni principio mollibus adhuc initiis prolatatum inter Parthos Romanosque . . . . . bellum acriter sumitur'. est hic annus 58 Nerone tertium Valerio Messala coss. [1]) spatium igitur inter initia particularum XIII, 6—9 et 34—41 paulo amplius tres annos — inde a fine a. 54 usque ad initium a. 58 — complectitur. atque his ipsis annis res l. XIII. c. 9 narratas attribuendas esse Taciti verbis 'quae in alios consules egressa coniunxi' comprobari videtur. sed manifestum est omnes has res uno tantum anno factas esse: neque enim tot neque tam graves sunt, quae utique longius temporis spatium exposcant. at difficilis est haec res ad diiudicandum nec non assentiendum Eglio [2]) dicenti: Die weiteren Verhältnisse in Armenien (nachdem Vologaeses aus Armenien abgezogen war und Geiseln gestellt hatte) sind bis zur Wiedereröffnung des Krieges im Jahre 58 nicht genau bekannt, namentlich nicht mit chronologischen Einzelheiten'.

Ceterum si quaesieris, quae fuerint res illis annis gestae, de quibus copiosius Tacitus non disseruit, adeas verba 'mollibus adhuc initiis prolatatum inter Parthos Romanosque de obtinenda Armenia bellum acriter sumitur', quibus dilu-

---

1) cf. init. c. 34: Nerone tertium consule simul iniit consulatum Valerius Messala.

2) p. 281.

cide indicari videtur bellum aliquamdiu — i. e. prioribus annis — utrimque segniter gestum esse, ita ut neuter neque Parthi neque Romani totius sibi Armeniae dominationem vindicare possent [1]). causas, quare Corbulo tam diu bellum duxerit, si quis scire vult, ante alia et Taciti verba (XIII, 35) 'sed Corbuloni plus molis adversus ignaviam militum quam contra perfidiam hostium erat' intueri licet et corruptam Romanorum militum praesertim legionum Syriacarum disciplinam, quam Tacitus eodem cap. depingit.

Quod si Clintonius [2]) a. 54 Vologaesen cum Corbulone pactum esse, vel potius, ut ex loco ab ipso laudato (XIII, 9) cognoscimus, res l. XIII, c. 6—9 narratas eo anno gestas esse putat, tamen cum his iam ipsius Taciti pugnant verba 'quae in alios consules egressa cŏniunxi'.

Tabula chronologica

inde ab a. 51—57 p. Chr. n.

51	vere et aestate	bellum inter Hiberos Armeniosque geritur.
	exeunte aestate	Vologaeses I. Armeniam invadit Hiberosque profugat Radamisto, Pharasmanis filio, aciem non auso.
51/52	hieme	Armenia abscedere Vologaeses cogitur.
52		Radamistus in Armeniam redux iterum ab ipsis Armeniis expellitur.
53		Tiridates, Vologaesis frater, et Radamistus de Armenia inter se decertant.
54		
	aestate	Armenii legatos Romam mittunt.
	fine anni post a. d. III. Id. Oct.	legati Armenii apud Neronem Romae causam gentis orant. Parthi rursus Armeniam invadunt.
		Romani summo studio in Oriente bellum parant.
54/55	hieme	Corbulo dux eius belli designatus in Syriam proficiscitur.

1) conferatur quoque XIII, 34 'quia nec Vologaeses sinebat fratrem Tiridaten dati a se regni expertem esse aut alienae id potentiae donum habere, et Corbulo dignum magnitudine populi Romani rebatur parta olim a Lucullo Pompeioque recipere'.

2) II, 249.

55	hieme s. vere	Vardanes contra Vologaesen patrem seditionem movet. Parthi ex Armenia se recipiunt. et a Corbulone et a Quadrato, Syriae legato, ad Vologaesen nuntii mittuntur, qui regem obsides deposcant; hinc discordia inter eos exoritur.
56		bello segniter a Corbulone gesto neque Romanorum neque Parthorum in potestatem Armenia redigitur. disciplinam militarem exercitus Romani depravatam Corbulo redintegrat. qua re Romani singulas deinceps Armeniae partes occupant.
57		

III.

De Armenia a Romanis duce Corbulone subacta

inde ab a. 58—60 s. 61 p. Chr. n.
Tacitus Ab exc. d. Aug. XIII, 34—41; XIV, 23—26.

Agitur hoc loco de bello a Corbulone gesto usque eo temporis, quo Tiridate expulso Tigranes, Herodis Magni, Iudaeorum regis, pronepos, a Nerone ad capessendum Armeniae imperium delectus illuc pervenit Syriaque provincia Corbuloni permissa est.

Eius belli initium, ut supra iam vidimus, Tacitus ineunte [1]) a. 58 ortum esse narrat. deinde causas explicat, quare bellum inter Parthos Romanosque, quod primum segniter tantummodo gerebatur, tum acriter susceptum sit, rerumque apud Parthos Armeniosque statum generatim docet.

1) Cognoscimus ex Taciteis illis 'retentusque omnis exercitus sub pellibus quamvis hieme saeva adeo, ut obducta glacie nisi effossa humus tentoriis locum non praeberet' simulque ex toto cap. 35 hibernum fuisse tempus, a quo narrationis de Armenia expugnata Tacitus initium capit.

seditionem igitur a Vardane contra patrem concitatam iam ante a. 58 compositam fuisse oportet, nam ut Vologaeses ea compulsus est, ut Armenia abscederet (XIII, 7. 9), ita etiam ante filii seditionem oppressam novum contra Romanos bellum, quod tum quidem in animo moliebatur [1]), parare non potuit.

Finitur l. XIV. c. 26 historia Armeniae in Romanorum potestatem redactae Corbulonis abscessu in Syriam, cui provinciae Ummidio Quadrato mortuo eum Nero praeposuerat, totamque particulam XIV, 23—26 anno 60 Tacitus attribuere videtur. sed quaeritur, utrum hoc loco, ut saepius, annum tam certe definitum Tacitus excedat necne. Eglius [2]) si Corbuloni Syriam provinciam administrandam a. 60 traditam esse ea de causa existimat, quod Tacitus res post Quadrati mortem narratas eodem anno factas (XIV, 27) Vibiumque Secundum, equitem Romanum, fine huius anni (XIV, 28) ex Italia expulsum esse memoret additis c. 29 anni 61 consulibus, quodque ita Quadratum a. 60 diem supremum obiisse necesse sit, simul tamen his normam statuit, quam non solum hoc loco, sed ubique eum secutum esse oportuit. at priorem particulam XI, 8—10 nulla ratione habita verborum, quae secuntur 'isdem consulibus ludi saeculares octingentesimo post Romam conditam spectati sunt' (c. 11), 'eodem anno' (c. 16), 'isdem consulibus' (c. 22) ad a. 48 Eglius refert [3]), quamquam hac norma usus illius finem anno 47 attribuere debuit. neque alia, quibus illud certissime probetur, argumenta extant, nam eo, quod Quadrati nummi aliquot Antiocheni tantum ad a. 104—108 aer. Caesar. (i. e. 55/56 — 59/60 p. Chr. n.) [4]) pertinent, non necessario evincitur Quadratum a. 60 iam mortem obiisse; neque ex toto rerum Parthicarum Armeniarumque particulae, de qua agitur, contextu atque sequentis (XV, 1—18) quidquam certi efficitur. posterior enim particula, ut paulo post demonstrabitur, maxi-

---

1) cf. Tacit. XIII, 34: quia nec Vologaeses sinebat fratrem Tiridaten dati a se regni expertem esse aut alienae id potentiae donum habere.

2) p. 282 sq.

3) p. 273 sqq. (ubi Vardanen (Tacit. XI, 10) a. 48 mortuum esse putat).

4) Eckhel, D. N. III, 280. §. 12.

mam partem ad a. 62 referenda est: verumtamen totumne ad a. 61 spectet, pro certo affirmari non potest, cum prioris particulae finis chronologiae ratione habita non accurate definitus sit. quapropter in medio relinquendum est, Quadratus a. 60 an a. 61 mortuus sit Syriamque in provinciam Corbulo abscesserit.

Iamiam vidimus initium belli, quod Corbulo ad occupandam Armeniam suscepit, certo constitui potuisse neque tamen annum, quo finitum sit. praeterea Tacitus XIV, 24 in ipsius narrationis circuitu aestatem describit, quae cui anno attribuenda sit, incertum est. sed qui in quaestionem hanc rem vocavit Eglius [1]) ad liquidum eam perduxisse sibi visus est. ac primum quidem haec merito observavit: 'Geht man von einer streng annalistischen Darstellungsweise bei Tacitus aus, so muss man die Zerstörung von Artaxata (Endpunkt des erstern Abschnittes XIII, 34—41) in das Jahr 58, den Marsch von da nach Tigranocerta (Anfangspunkt des zweiten Abschnittes XIV, 23—26) in das Jahr 60 verlegen'. ex quibus deinde haud minus recte ille concludit primum: iter Artaxatis Tigranocerta factum temporis duorum annorum [2]) spatio ab ipsis Artaxatis captis distare, quamvis illud iter statim post deleta Artaxata inceptum sit: et profecto Tacitea illa [3]), quae Eglius in adnotatione affert: 'Corbulo post deleta Artaxata utendum recenti terrore ratus ad occupanda Tigranacerta . . . . illuc pergit' dilucide atque perspicue non tantum inter Artaxata diruta et Tigranocerta tradita intervallum fuisse demonstrant. deinde ex verbis supra laudatis Eglius iure putat sequi, ut Tacitus nihil omnino de a. 59 rettulerit, quamvis artissimus ubique contextus singularum particularum totius Parthici belli inde ab a. 41—63 appareat.

Atqui tres nobis de historiae Parthicae Armeniaeque particula XIII, 34—41 sententiae offeruntur: aut accuratissime illa eodem anno (58) finem capit, cui apud Tacitum attribuitur, aut ad duos annus (58 et 59) referenda est —

---

1) p. 283 sqq.

2) Quod vero nimium videtur, nam amplius uno anno illud intervallum duravisse necesse non est.

3) XIV, 23.

nam annus 60 haud dubie ad sequentem particulam (XIV, 23—26) pertinet — aut praeter a. 58 pars quoque anni 59 ad illam particulam spectat. quarum postremam sententiam Eglius amplexus est, qui Artaxata vere anni 59 capta esse atque aestatem, de qua l. XIV, c. 24 legimus, eiusdem anni fuisse putat. sed videamus singula.

Corbulonem media a. 58 aestate in Armenia Cauro subiecta moratum fuisse persuasum habet Eglius nisus Taciti verbis [1]) 'Corbulo quaesito diu proelio frustra habitus etc.' nihil autem haec verba neque de anni tempore neque de regione, in qua dux Romanus versatus est, indicant. in universum enim apud Tacitum notae geographicae perpaucae leguntur saepissimeque vehementer eas desiderabis. atque bis tantummodo hoc loco rem geographicam primum c. 37, deinde c. 39 Tacitus ita tetigit, ut dilucide concludere possis et in qua Armeniae parte tum Corbulo constiterit et quonam itinere Artaxata profectus sit. namque impetus in Tiridaten a Corbulone facti Tacitus Pharasmanen, Hiberorum regem, et Moschos, quos 'tunc primum illectos' esse dicit, participes fuisse memorat. quorum Hiberi ab Armeniorum finibus septentrionem versus oriuntur medii inter Colchos et Albanos, et Moschi, gens Armeniae septentrionalis, prope fines Colchorum incolunt. Corbulonem igitur tum eam Armeniae partem peragravit, quae spectat inter occasum solis et septentriones [2]); id quod multo etiam magis confirmatur altera Tacitea nota geographica: Tiridaten commeatus Pontico mari et Trapezunte oppido adventantes intercipere voluisse: quare Corbulo eam ipsam Armeniae partem pervagatus est, qua potissimum ei ab oppido Trapezunte commeatus subvehi poterant. haec quin fuerit Armenia Cauro subiecta nemo dubitabit. nullo autem modo, quod Eglius opinatur [3]), media

1) XIII, 37.

2) Huic sententiae non repugnat, quod simul Antiochus, Commagenorum rex memoratur, quippe cuius regnum multo magis ad meridiem versus inter Euphraten flumen et Amanum montem situm Armeniem omnino non attingat, at contrarium sit Mesopotamiae regioni Osroenae, Parthorum regibus obnoxiae, ita ut 'proximae praefecturae', quas rex petere iussus est, haec Mesopotamiae regio fuerint.

3) p. 284. 286.

a. 58 aestate Corbulonem in illa Armeniae parte fuisse argumentis confirmari potest. maximi hac in re putat ille momenti esse verba Taciteа XIII, 37 'quaesito diu proelio frustra habitus (Corbulo)', quibus innisus Corbulonem per aestatem a. 58 bellum circumferre coactum fuisse edidit; praeterea magnum illum Corbulonis, Antiochi, Pharasmanis, Moschorum impetum in Tiridaten datum eidem aestati actionesque Tiridaten inter et Corbulonem hiemi a. 58/59 attribuit, ita ut uno capite dimidioque (36 et priore parte c. 37) tota primi anni expeditio descripta sit. cuius expeditionis singulae res gestae paucis deinceps enarratae hae sunt: initio a. 58 hieme nondum praeterlapsa iam a Corbulone quae opus erant ad exercitum contrahendum atque disponendum provisa sunt ducibusque ne pugnam auderent imperatum est. interea Tiridates ope Vologaesis fratris adiutus eoque redditus audacior Armeniam bello infensare ac praesertim quos fidos Romanis putabat depopulari incepit, bellumque Corbulo quaesito diu proelio frustra habitus aliquamdiu circumferre coactus est. tum autem omnibus copiis sociisque Romanis a diversis partibus ac diversis agminibus hostem aggredi constituit. ita consilia Tiridati in contrarium vertebant interque eum et Corbulonem de pace institutae sunt actiones Eglii ex iudicio in hiemem a. 58/59 exeuntes.

Sed quomodo hanc rerum gestarum quam exposui seriem totum a. 58 complecti necesse sit existimemus non intellexisse me confiteor: namque has res haud minus apte ad brevius pertinere potuisse temporis spatium negandum non est: verbum 'diu' omnino nimis est incertum, quo certo utaris argumento. qua de causa simul quatenus ipsa hac sententia nititur probari nequit, quod putat Eglius fieri non potuisse, ut Corbulo iam aestate a. 58 Artaxata proficisceretur (XIII, 38—41) eamque urbem deleret (XIII, 41). de Corbulonis itinere, quod Artaxatis dirutis Tigranocerta (XIV, 23—24) intendebat, infra videbimus quomodo se habeat.

Sed Corbulonem a. 59 Artaxata profectum esse Eglius summopere contendit eumque delevisse urbem vesperi pridie Cal. Mai. a. 59 ex loco Plinii Nat. hist. II, 180 statuit. hanc ad sententiam adductus est eo quod sibi persuasit miraculum vel phaenomenon quoddam a Tacito in Artaxatorum excidio

(XIII, 34) memoratum solis fuisse defectionem et quidem eandem, quam Plinius eo die (prid. Cal. Mai.) visam esse rettulit. legimus [1]) enim apud ipsum praemissis Plinii et Taciti verbis: 'Wir werden kaum mehr anstehen, die Finsterniss, welche Corbulo laut Plinius, und die Lichterscheinung, die er laut Tacitus in Armenien sah, für identisch zu erklären, zumal da die wirkliche Zeit der Sonnenfinsterniss für Campanien einerseits und für Armenien andererseits gut mit der Angabe des Plinius stimmt' et paulo post [2]): 'Es brauchte einen Plinius dazu, um aus dem zeitlichen Zusammentreffen des Phänomens von Artaxata mit der in Campanien beobachteten Sonnenfinsterniss zu schliessen, dass auch das erstere eine Sonnenfinsterniss gewesen sei'. gravissimum est igitur Eglii argumentum praetermissa illa quam statuit similitudine phaenomeni cum solis defectione, quod utriusque rei tempus congruere opinatur, id quod profecto plane sufficeret ad rem demonstrandam, dummodo constaret. ex Plinio discimus annum, diem, horam, quibus solis defectionem in Armenia visam esse Corbulo prodidit: pridie Cal. Mai. a. 59 inter horam diei decimam et undecimam. dies, ut hoc primum absolvam, ex Taciteis omnino non cognoscitur; de anno iam supra vidimus Eglium, qui Artaxata a. 59 deleta esse pro certo affirmavit, argumenta non attulisse gravia, quibus sententiam suam comprobaret. ne horas quidem inter se congruere ex Tacito dilucide apparet. ipso enim auctore c. 40 (fin.) et 41 Tiridates propinquis iam tenebris abscessit; Corbulo autem, quamvis eadem nocte Artaxata pergere potuisset, tamen cum incertum esset, quo rex Tiridates iter intenderet, lucem oppertus est levemque modo armaturam praemisit, quae urbis interim oppugnationem eminus inciperet. sed oppidani portis sponte patefactis se suaque Romanis tradiderunt: tum Corbulonis iussu Artaxata igni inmisso deleta et solo aequata sunt. iam Artaxatorum incolas urbem levi armaturae a Corbulone praemissae ne expectato quidem ipsius adventu illico sponte dedidisse videmus. atqui licet ea de re dissentire, Corbulo utrum hanc levem armaturam iam nocte, dum

---

1) p. 285. cf. p. 355. n. 10.

2) p. 334.

ipse castra metatur, an demum postridie mane praemiserit. sed utut res est, omnino non est argumentis probatum inter horam diei decimam et undecimam (vel apud nos inter horam 3 et 5) Romanos ad urbem Artaxata pervenisse eisque illam deditam esse; quin etiam hoc posito, tamen neque hoc loco a Tacito dicitur neque inde concludi potest tum miraculum apparuisse, cum aut praemissa levis armatura urbem adtigit aut ipse Corbulo, qui non multo post, sed haud dubie eodem die, illam ingressus est. immo contra ex Taciti verbis, quibus miraculum describitur, perquam dilucide cognosces non nisi in excidio Artaxatorum urbis illud phaenomenon accidisse: verba 'cuncta hactenus sole illustria fuere' nihil aliud significant quam cuncta sole illustria fuisse usque ad id temporis, quo urbs incendi delerique coepta sit; porro adiectum illud 'ut quasi infensantibus deis exitio tradi crederetur (scl. urbs)' plane non intellegitur, si non ad urbem incensam referimus: namque quod phaenomenon tum apparuit, cum urbi ignem Romani inmittere coeperunt, dei infensantes exitio eam tradidisse credebantur. sed omnino non est certum Artaxata dedita illico esse eversa. Tacitus urbem incensam soloque aequatam esse dicit eiusque rei causas affert hasce: 'quia nec teneres sine valido praesidio ob magnitudinem moenium, nec id nobis virium erat, quod firmando praesidio et capessendo bello divideretur, vel si integra et incustodita relinquerentur, nulla in eo utilitas aut gloria, quod capta essent.' nonne haec verba ita interpretanda sunt Corbulonem prius consilium convocasse, quocum de Artaxatorum excidio deliberaret? an potius credas illum urbem sponte deditam illico deleri iussisse? Tacitus haec quoque adicit: oppidanis salutem tulisse, quod portis sponte patefactis se suaque Romanis permisissent. nonne igitur excidium urbis necesse erat differri ad id temporis, quo ipsa ab incolis relicta esset? denique: Taciti verba si diligentius perquisieris Artaxata vixdum eo die deleta esse cognosces, quo capta sint. omnino igitur incertum est, qua hora phaenomenon acciderit; neque Corbulo cum proximus dies illucesceret impetum in urbem ausus est neque eam eodem die vesperi delevit, quemadmodum ab Eglio [1]) Tacito supponitur.

1) p. 288.

Itaque si neque annum neque diem neque horam apud Tacitum remissa omni dubitatione congruere demonstrari potest cum Plinianis illis, certe nullo modo fieri potest, ut his quasi fundamento nitamur.

Sed ut concedendum non est idem esse phaenomenon Taciteum atque Plinianam solis defectionem ea de causa, quod utriusque rei tempus congruat, ita ne similitudo quidem, qua Eglius sententiam suam confirmare vult, inter phaenomenon extat atque solis defectionem: immo quam maxime ea inter se differunt. Tacitus hisce verbis phaenomenon illud describit: 'adicitur miraculum velut numine oblatum: nam cuncta hactenus sole illustria fuere (sol igitur dilucide conspiciebatur), quod moenibus cingebatur (i. e. nihil aliud nisi urbs, Artaxata), ita repente atra nube coopertum fulguribusque discretum est, ut quasi infensantibus deis exitio tradi crederetur.' at quomodo fieri potest, ut talem descriptionem miraculi solis esse defectionem intellegamus? urbem solam quis est qui credat defectione sive totius sive partis tantummodo solis obscurari potuisse, ita ut cuncta circum illustria essent? quodsi fuit solis defectio perfecta, non modo urbem, sed omnem potius regionem obscuratam fuisse oportet, sin fuit pars tantummodo solis obumbrata [1]) urbs sola crescente obscuratione tenebris obduci non potuit, dum cetera cuncta circum, ut apud Tacitum legimus, illustria manebant. etenim si dubitandum non est, quin verba Tacitea minus accurate dicta sint, tamen haudquaquam omnes sublatae sunt difficultates. nam quid sibi volunt fulgura? neque quisquam verba 'atra nube coopertum' cum solis defectione non concinere inficiabitur. Taciti igitur illa de mi-

---

1) Apparet ex Pliniano loco non perfectam fuisse solis defectionem, sed partem tantummodo eius obscuratam fuisse. cf. Egli. p. 285. Zech. Astronomische Untersuchungen über die wichtigern Finsternisse, welche von den Schriftstellern des classischen Alterthums erwähnt werden, in Preisschriften der fürstlich Jablonowski'schen Gesellschaft zu Leipzig. Leipz. 1853. n. 4. p. 52. G. Hoffmann. Ueber eine von Plutarch in seiner Schrift: De facie, quae in orbe lunae appareat erwähnte Sonnenfinsterniss. Progr. d. k. k. Gymnasiums zu Triest 1873.

raculo verba adeo sunt portentosa, ut, si eum solis defectionem descripturum fuisse sumimus, tam neglegenter eam descripserit, ut nemo non intellegat potius quidvis aliud, quam quod ille intellegi vult. quapropter Tacito, qui haud dubie talium rerum cognitionem habuerit, solis defectionem depingere omnino non in animo fuisse certum est; nam si re vera solis defectionem illud phaenomenon habuisset, miraculum non appellavisset. accedit, quod Tacitus saepius solis defectionem commemorat et l. XIV. c. 12 hanc ipsam, quae pridie Cal. Mai. a. 59 visa est [1]).

Restat igitur hoc unum, ut Tacitum ipsum non perspexisse credas phaenomenon, quod ab auctore suo relatum invenit, solis fuisse defectionem. id quod Eglius quoque concedit, qui scribit[2]) 'Aus dieser Schilderung bei Tacitus ergibt sich, dass er nicht an eine Sonnenfinsterniss dachte, sonst würde er nicht ein miraculum daraus gemacht haben'. recte quidem. sed nonne id ipsum animum eius inducere debebat, ut quamvis utriusque rei tempus congruere videretur, tamen fieri posset, ut phaenomenon Taciteum atque Pliniana solis defectio inter se different? dicit autem Plinius N. h. II. 180 haec: 'solis defectum Vipstano et Fonteio coss., qui fuere ante paucos annos, factum pridie Cal. Maias, Campania hora diei inter septimam et octavam sensit, Corbulo dux in Armenia inter horam diei decimam et undecimam prodidit visum.' Corbulonem igitur eundem solis defectum, quem Campania pridie Cal. Mai. hora diei inter septimam et octavam (vel apud nos inter horam 12 et 2) sensit, in Armenia inter horam diei decimam et undecimam (vel inter horam 3 et 5) vidisse deque eo in commentariis quos scripsit rettulisse constat. quibus Corbulonis commentariis inter alios Tacitus (cf. XV, 16) usus est nec non Plinius. unde sequitur, ut

---

1) Tacitum l. l. hanc solis defectionem intellexisse eo comprobatur, quod ipso auctore non multo post Quinquatrus, quae XIV. Cal. April. et sequentibus quattuor diebus ludis annuis celebrabantur, sol repente obscuratus est (cf. Zech. l. l.), idque haud dubie factum est a. 59. cf. Egli. 285 adn. 2.

2) p. 334. cf. p. 357. n. 18.

Corbulo de phaenomeno, quod in excidio urbis Artaxatorum visum est (XIII, 41), similia dixerit, qualia apud Tacitum legimus. quapropter Corbulonem phaenomenon non appellasse solis defectionem [1]) manifestum est. etenim si phaenomenon illud Taciteum solis defectionem fuisse putamus, eandem esse oportet, quam Plinius Corbulone auctore pridie Cal. Mai. a. 59 factam esse memorat. itaque duplex de eadem solis defectione extaret narratio ex Corbulonis commentariis hausta, altera apud Plinium, altera apud Tacitum: ex Pliniana nihil nisi ipsam rem atque certam diei horam cognoscimus, qua eclipsis visa est; Tacitea quam latissime singula depingit. quod si ita esset, Plinium intellexisse oporteret perplexa illa Corbulonis verba, quae apud Tacitum legimus, nihil aliud significare quam solis defectionem, id quod prorsus statui non potest. nam qui alterum Plinii 'Naturalis historiae' librum perlegerit, statim persuasum habebit non ignorasse eum solis defectionem nec quaecunque in ea appareant. nullo igitur modo potuit fieri, ut Plinius talia verba ad solis defectionem referenda esse putaret.

Quam ob rem de solis defectu, quem Plinio auctore in Armenia vidit, longe aliter et quidem accuratius, quam a Tacito phaenomenon illud describitur Corbulonem retulisse manifestum est. et profecto huic rei Pliniana verba testimonio sunt, quippe cum ex eis certissime horam discamus, qua solis defectus visus sit. ea autem de re Tacitum frustra inspexeris. deinde cur Plinio fides non est habenda atque putandum Corbulonem ipsum verbo 'solis defectus' usum fuisse? quo posito evidens est iamque omnia ad hoc unum spectant phaenomenon a Tacito in excidio Artaxatorum narratum non solis esse defectionem, quam Corbulo, ut apud Plinium invenitur, in Armenia visam esse prodidit. Corbulonem de ea scripsisse constat in commentariis suis, quod Tacitus in componendis Ab exc. d. Aug. libris omisit. attamen phaenomenon Taciteum, quod 'miraculum' appellatur, ea de causa haudquaquam reiciendum est; immo quo modo licet solis defectio a Plinio Corbulonis ex commentariis hau-

1) Hoc etiam Eglius l. l. concedit.

sta sit, eodem id ipsum a Tacito; sed fieri nullo modo potest, ut Artaxata illo die, quo sol defecit i. e. pridie Cal. Mai. a. 59 a Corbulone eversa esse putemus. nec vero difficile est intellectu, cur Tacitus solis defectionem a Corbulone memoratum praeterierit, praesertim cum eiusdem ipse postea mentionem faciat verbis: 'iam sol repente obscuratus' (XIV, 12).

At si re vera Corbulo solis defectionem, cum Artaxata delerentur, factam esse rettulisset, num quis Tacitum eam adeo deformaturum atque in miraculum commutaturum fuisse existimat? an maior in narratione vis inerat, si illa solis defectio, quam velut numine oblatam Corbulo fortasse memoravit, in 'miraculum' commutabatur? certe non inerat. nihil igitur omnino est causae, ut Tacitum consilio illam solis defectionem narrando detorsisse existimes. ex quibus omnibus satis superque elucet phaenomenon a Tacito in Artaxatorum excidio memoratum solis non fuisse defectionem.

Quaestio nunc si movetur, quale tandem fuerit illud phaenomenon, facile tempestatem eam fuisse intelleges, qua Corbulo usus sit ad exornandam de Artaxatis eversis narrationem.

Quae cum ita sint, priores duae Eglii [1]) sententiae, quae in eo nituntur, quod phaenomenon Taciteum idem sit atque Pliniana solis defectio,

1. dass die Zerstörung von Artaxata auf den Abend des 30. April 59 fällt,

2. dass Tacitus die gleiche Lichterscheinung für Italien als eine Sonnenfinsterniss, für Armenien dagegen als ein miraculum bezeichnet,

falsae sunt, duae autem posteriores:

3. dass Tacitus den Plinius über Armenien nicht benutzt hat,

4. dass der Sommer in Tacitus XIV, 24 wirklich in das Jahr 59 gehört,

argumentis carent.

Hucusque denegandi tantum fuit occasio data sententiam-

---

1) p. 286. cf. p. 355 n. 7; 357 n. 18; 356 n. 11; 355 n. 6.

que, quam et alii [1]) secuti sunt, reiciendi. nunc oritur quaestio, nonne historiae Parthicae Armeniaeque particularum XIII, 34—41 et XIV, 23—26 chronologia accuratius statui possit. sed et hoc puto esse denegandum. aliud enim quod ad chronologiam pertinet momentum Tacitus non praebet excepta de qua in l. XIV. c. 24 dictum est aestate. ex hoc autem loco id tantum docemur, Corbulonem fervidissima aestate Artaxatis profectum esse Tigranocerta segetesque, priusquam in regionem Tauraunitium [2]) venisset, ex agris demessuisse. at cuius anni haec aestas fuerit pars, certe diiudicari non potest, quippe quam non nisi ex tribus, quae nobis, ut iam supra disserui, offeruntur sententiis statuere liceat, prout soli anno 58 particulam XIII, 34—41, annis igitur 59 et 60 alteram XIV, 23—26, aut vice versa priorem annis 58 et 59, alteram soli anno 60 attribuerimus, aut denique utramque particulam ad a. 59 rettulerimus. postrema autem quae est sententia nescio an maxime sit probanda; quam ad rem eo adducimur, quod primo iam obtutu res gestas unius tantum anni particula XIII, 34—41 contineri verisimile non videtur, quodque Tacitus Corbulonem post deleta Artaxata utendum recenti terrore ratum esse ad occupanda Tigranocerta dicit [3]), ita ut minime sit probabile hiemem inter utramque rem esse interserendam. quapropter neque Nipperdeyo [4])

1) Schiller. Geschichte des Römischen Kaiserreichs unter Nero p. 120 ff. und Zu den salutationes imperatoriae Nero's, Hermes V, 311.

2) 'Tauraunites' nusquam alibi memorantur (cf. Nipperdey. ad. Tacit. XIV, 24; Ritter. Erdkunde. X, 649). 'Tauraunitium regio' ea planities est, quae circa hodiernum oppidum 'Mush' sita a lacu Thospiti (h. Wan-See) in occidentem solem spectat. vetus illius regionis velut domesticum nomen erat 'Tarôn', quod olim vocis sono 'Taraun' edebatur. cf. Ritter. l. l, Kiepert. Ueber die Lage von Tigranocerta, Monatsberichte d. Berl. Acad. 1873 p. 173. nec ea verbi forma ignota nec inusitata erat Graecis scriptoribus iamque Strabo XI, 14, 5 lapsu quodam litterae '*Ταμωνῖτις*' exhibet. cf. Kiepert. l. l.; Taylor. Travels in Kurdistan p. 44 in 'Journal of the Royal Geographical Society of London' 1865. XXXV. provinciam, quae planitiem circa oppidum 'Mush' continet, nomine appellari 'Daron' dicit.

3) cf. Egli. p. 284; 355 n. 9; 14.

4) ad Tacit. XIV, 23. cf. praefat. XXXI. adn.

assentiri possum, qui priorem particulam ad a. 58, alteram ad a. 59 et 60 pertinere putat argumento sane non allato, neque Mommseno, qui nuperrime in epistola ad Kiepertum scripta [1]) Corbulonem Artaxatis deletis a. 60 Tigranocerta profectum esse edidit. omnino autem nulla existimaveris posse afferri argumenta, quibus utramque particulam ad a. 59 pertinere necessario demonstretur. qua in re dolendum est, quod nummo quoque, quem propter Corbulonis in Armenia victoriam atque deleta Artaxata verisimile est percussum esse certi de tempore nihil nobis indicatur reperimus enim in fronte eius verba NERO · CLAVD · DIVI · CLAVD · F · et ARMENIA vel ARMENIAC(us) [2]), eumque nummum in quintum Neronis tribunatum cadere ex circumscriptione partis aversae docemur. hic Neronis tribunatus inde a. III. Id. Oct. [3]) aut pridie Non. Dec. [4]) a. 58 initium capit. quo tamen die finiverit in medio relinquendum est, sive Stobbium [5]) sequimur, qui illum tribunatum iusto die (prid. Non. Dec. a. 59) finem habuisse sibi persuasit, sive intra diem III. Non. Ian. a. 59, quousque haud dubie Nero trib. pot. V. functus est [6]), atque Cal. Ian. a. 60 in enumerandis Neronis

---

1) Die Lage von Tigranocerta. Hermes IX. (1874) p. 135.

2) cf. Eckhel. D. N. VI, 263; Cohen. Description historique des médailles impériales. Paris et London 1859—68. I. Néron 2.

3) cf. Henzen. Acta fratrum Arvalium, quae supersunt. Berol. 1874 p. 65 et Mommsen. in libro 'Römisches Staatsrecht' nuperrime (Leipzig 1875) edito II, 2 p. 754 et ibid. adn. 4, qui ambo Neroni una cum imperio i. e. ipso die qui dicitur imperii, tribuniciam potestatem decretam esse putant.

4) Tab. fratr. Arval. ap. Henzen l. l. p. LXIV, v. 14; LXIX. sq. v. 19. 20. pridie Non. Dec. fratres Arvales diem festum anniversarium ob Neronis tribuniciam potestatem agebant. cf. Rossi. Bullett. di archeolog. crist. Roma 1866 p. 61; Henzen. Eine neue Arvaltafel, Hermes II, 48 sqq.; Mommsen. Bemerkungen zu d. neuen Arvalt. ibid 56 sqq.; Henzen. Nuovi frammenti degli atti dei fratelli Arvali, Annali inst. arch. 1867 p. 251 sqq. et Scavi nel bosco sacro de' fratelli Arvali, Bullett. dell' inst. 1869 p. 99. 100; Stobbe. Die Tribunenjahre d. Röm. Kaiser, Philol. XXXII, 23 ff. hoc autem loco nihil omnino refert Neronis tribunatum III. Id. Oct. an pridie Non. Dec. initium ceperit.

5) l. l. p. 29.

6) cf. Henzen. Acta fratr. Arval. p. LXIX sq. v. 40.

tribunatibus permutationem factam esse nobis verisimile videtur [1]), sive denique in Mommseni sententiam discedimus nuperrime editam [2]) atque Neronem intra a. 60 praescripsisse putamus, ut tribuniciae potestatis ratio a vetere computaretur anno tribunicio, quem inde a IV. Id. Dec. initium cepisse constat, ita ut inde a IV. Id. Dec. a. 59—60 tribunicia potestate VII Nero perfungeretur; cuius rei deinde rationem habitam esse Mommsenus existimat fratrum Arvalium in tabula anni 60 initio a. 61 exarata, cum hac in tabula bis, Cal. Ian. et III. Non. Ian. [3]) Nero trib. pot. VII dicatur, quamvis duobus in nummis [4]), qui haud dubie in a. 60 cadunt, inter Neronis titulos trib. pot. VI appareat. Eckhelio igitur atque Cohenio, qui illum nummum anno 58 attribuunt, non plane assentiendum est. neque utrum Artaxata auctumno a. 58, an aestate a. 59 capta deletaque sint, ex hoc nummo elucet. hoc unum tamen illo confirmari intelleges: Taciteam particulam XIII, 34—41, cuius in fine Artaxata eversa esse narratur, aestatem a. 59 excedere non posse.

At regandum non est fieri potuisse, id quod Eglius [5]) putat, ut Corbulonis contra Tiridaten expeditio post dedita Tigranocerta suscepta non iam eadem aestate facta sit. Artaxata autem rectissima via distant a Tigranocertis, quae septem et triginta milia passuum [6]) a Nisibi, Mesopotamiae oppido, in dextra Tigridis fluminis ripa ad declivia montis Masii adclinata prope hodiernum 'Tell Bejâd' vel 'Tel Biat' [7]) sita fuisse Mommsenus et Kiepertus [8]) statuerunt, ipso Kieperto [9]) auctore circiter 55 milliariis Germanicis vel 275 milibus passuum. atqui Romani exercitus iter, quod uno die conficere solebat, spatium circiter 5 s. 6 horarum vel 15

---

1) cf. Henzen. Hermes II, 48 sqq. Mommsen. ibid. 56 sqq., Schiller. Röm. Kaiserreich unter Nero p. 308 sq.

2) Röm. Staatsrecht II, 2 p. 755 adn. 1.

3) Henzen. Acta fratr. Arval. p. LXXV. sqq. v. 14—26.

4) Eckhel. D. N. VI, 264; Cohen. Descr. hist. I. n. 29. 30.

5) p. 289.

6) Tacit. XV, 5.

7) cf. Taylor. Travels in Kurdistan p. 35. l. l.

8) Die Lage von Tigranocerta. Hermes IX, p. 129—149.

9) cf. 'Atlas antiquus', Berol. 1863. Tab. III.

s. 18 milium passuum, quemadmodum nostris temporibus, complectebatur [1]); quae res cognoscitur ex itinere, quod e castris suis ab oppido Dyrrhachio ad meridiem versus prope flumen Palamnum positis Caesar usque ad flumen Genusum atque vetera castra ad Asparagium peregit iustum sese iter eius diei confecisse affirmans [2]). hinc patet recta 18 s. 15 dierum itineris fuisse inter Artaxata et Tigranocerta urbes. sed ponamus ratione habita flexuosi itineris multumque impediti quadruplex quin etiam quincuplex temporis spatium Corbuloni opus fuisse (id quod fortasse nimium videtur), iter eius Artaxatis Tigranocerta factum non amplius $2^1/_2$ s. 3 menses duravisse manifestum est. huc accedit, quod Corbulo fervidissima aestate (i. e. circa menses Iul. et. Aug.) Tigranocerta profectus illaque urbs exeunte aestate ei dedita est: namque priusquam in Tauraunitium regionem venisset, in locis cultis (h. Melazgerd et Liz) segetes demessuerat. deinde illuc transgressus non multo post legatos acceperat, qui Tigranocerta urbem traderent. hac autem in regione, cui mitius est coelum, quam illis locis cultis segetes priore mensis Aug. parte nondum maturescere incipiunt [3]), quapropter neque ante exeuntem m. Aug. vel initium m. Sept. segetes demetere Corbulo potuit neque Tigranocerta ante illud tempus dedita sunt [4]). quae cum ita sint, non improbabile est

1) cf. Goeler. Die Kämpfe bei Dyrrhachium u. Pharsalus, Karlsruhe 1854 S. 65 Anm. 3.

2) Bell. civ. III, 76, 1. neque tamen probandum est id quod Goelerus p. 65 adn. 3 putat verbo 'iustum iter' non significari iter solitum, sed quodlibet iter, quod soliti modum non excederet, minime vero adaequare deberet, atque 'iustum' hoc loco nihil aliud esse quam 'aequum' vel 'modicum'. namque hoc omnino repugnat consilio, quod ceperat Caesar, ut omissa obsidione castrisque relictis Pompeium expedito itinere antecederet: quod consequi non potuit, ipse si ne solitum quidem iter confecit. neque Caesaris itineris ratio quam iniit Goelerus (cf. p. 65 adn. 3; p. 66 adn. 1) cum ipsius tabula geographica (p. 11) congruere videtur: ita ut Caesari amplius quattuor horis opus esset, quo ad vetera sua castra ad Asparagium perveniret.

3) Ibi Brandtius, qui nostris temporibus illas terras peragravit, VII. Id. Aug., quamvis magni essent calores, frumentum nondum maturitatem adeptum esse invenit. cf. Ritter. Erdkunde X, 671.

4) cf. Egli. p. 288.

Corbulonem, qui in ea Armeniae parte, quae ad occidentem spectat, versabatur, praesidiumque Legerda, quod ferox iuventus clauserat, aliquamdiu obsessum non sine certamine expugnavit, non iam eodem anno bellum contra Tiridaten sumsisse atque alterum iter circiter $2^1/_2$—3 mensium per Armeniae montuosa confecisse, quo Tiridaten per Medos extrema Armeniae intrantem i. e. eam partem, quae ad orientem vergit, expelleret.

Ita omnia, quae Eglius de chronologia statuisse sibi videtur, certo fundamento carent reiecto quo nituntur, phaenomenon Taciteum idem fuisse atque Plinianam solis defectionem. et in hoc tantum Eglio [1]) assentiendum est, inter Tiridatis fugam (cf. XIII, 40. 41) Artaxatorumque deditionem (non vero excidium) unius tantum noctis fuisse intervallum.

Ex eis quas supra tetigi causis haud difficile est intellectu Clintonium [2]) quoque perperam interpretatum esse Taciti locum (XIV, 25), cum Hyrcanorum, qui a. 58 a Vologaese defecerant, legatos ad principem Romanum missos a. 60 revertisse scribat.

Tabula chronologica

inde ab a. 58—60 s. 61 p. Chr. n.

(secundum eam quam proposui sententiam, qua annus 59 ad utramque Taciti particulam pertineat, composita.)

58	vere	bellum inter Parthos Romanosque acriter sumitur. seditio Vardanis, Vologaesis I. filii, haud dubie sedata est.
	vere s. aestate	Corbulo bellum circumferre cogitur. vehementem Romani cum Hiberis, Moschis, regeque Antiocho impetum in Tiridaten faciunt. Hyrcani a Vologaese deficiunt.
?	hieme?	de pace Corbulo cum Tiridate agit.
59?	vere?	Corbulo tribus in Armenia castellis, quorum uni cognomentum Volandum, expugnatis Artaxata proficiscitur pulsoque Tiridate urbem deditam deleri et solo aequari iubet.

1) p. 287. cf. p. 256 n. 13.
2) II, 249.

?	vere? s. aestate	Corbulo Artaxatis Tigranocerta iter pergit finesque suos praegredientem Mardi incursant.
?	exeunte aestate	Tigranocerta traduntur Corbuloni.
?	hieme	Legerda praesidium captum est; Hyrcanorum le-
60?	s.	gatos Corbulo dato praesidio ad litora maris
	vere?	rubri deducit.
	aestate?	Corbulo contra Tiridaten per Medos extrema Armeniae intrantem bellum gerit eumque finibus excedere ac spem belli amittere cogit.
	fine	Tigranes advenit Armeniorumque rebus constitutis
	s.	Corbulo in Syriam abscedit morte Ummidii le-
61	initio	gati sibi permissam.

IV.

De bello a Romanis contra Parthos gesto

inde ab a. 61—63 p. Chr. n.
Tacitus Ab exc. d. Aug. XV, 1—18; 24—31.

Duarum particularum, quibus certaminis inter Romanos Parthosque de obtinenda Armenia exorti finis atque exitus narratur, priorem Tacitus anno 62 attribuisse videtur, ita ut annum 61, quatenus praecedente particula (XIV, 23—26) non continetur, omnino eum praetermisisse putandum sit. quam ob rem diligentius hanc particulam (XV, 1—18) perquiramus necesse erit.

Facile quidem ante alia illius finis definiri potest, cum sequentem particulam (XV, 24—31) Tacitus incipiat a certissimo tempore: 'inter quae veris principio', quod ad a. 63 referendum est, cuius consules c. 23 memorantur. priorem igitur particulam (XV, 1—18) hiemem a. 62/63 non excedere persuasum habeas. sed quaeritur, num ex ipsa narratione eam

spatium unius anni egredi eluceat. qua in re maximi momenti est, quod saepius Tacitus in rebus enarrandis hiemis mentionem facit: c. 6: ‘an melius (sc. Corbuloni) hibernavisse in extrema Cappadocia, raptim erectis tuguriis, quam in sede regni modo retenti?’ c. 7: ‘hibernacula’ itemque c. 8, eodem cap.: ‘instante iam hieme reduxit (Paetus) exercitum’, c. 10: ‘relictis hibernis . . . . . duxit (Paetus) legiones quasi proelio certaturus’, c. 17: ‘exin Paetus per Cappadociam hibernavit.’

Quae si apud Tacitum capita perlegeris, statim oritur quaestio, utrum omnibus his locis una eademque hiems intellegenda sit an plures. ad hanc rem diiudicandam ab ea hieme exordiendum est, quam c. 17 verbis ‘exin Paetus per Cappadociam hibernavit’ Tacitus descripsit, quippe quae sola certo temporis momento definita sit, cum, ut supra iam vidimus, illa particula hieme a. 62/63 terminetur. haec igitur est hiems, de qua c. 17 agitur. Paeti autem abscessum in hiberna per Cappadociam habita antecedunt quae continentur Taciti c. 10—17 i. e. Parthorum impetus, obsidium Romanorum castrorum ad Arsamosata, Paeti foeda cum Parthis pactio eiusque congressus cum Corbulone apud ripam Euphratis. neque vero multo ante Vologaesis impetum Paetus, ut ex Tacito (c. 8) discimus, exercitum ‘longinquis itineribus percursando, quae obtineri nequibant, instante iam hieme reduxit sc. in hiberna [1]). qua de re nulla restat dubitatio propterea, quod Paetum ‘necdum satis firmatis hibernaculis’ (init. c. 8) exercitum rapuisse trans Taurum montem quodque (c. 10) eum Vologaese adventante hiberna reliquisse quasi proelio certaturum legimus. c. 9 continentur Corbulonis in Syria res gestae, quae eodem tempore factae sunt, quo res c. 7 et 8 memoratae: Euphratis enim ripam crebrioribus praesidiis insederat Corbulo Parthosque magna celeritate et ostentatione virium propulerat. hi deinde spem omnem in Armeniam vertebant ‘ubi Paetus imminentium nescius quintam legionem procul in Ponto habebat, reliquas promiscuis militum commeatibus infirmaverat, donec adventare Vologaesen magno et

1) Dux Romanus hoc anno quam maturrime legiones in hibernis collocasse videtur.

infenso agmine auditum.' satis perspicue ex his apparet instante hieme Parthos Armeniam invasisse reversumque in hiberna Paetum extemplo aggressos esse. nam 'promiscuos commeatus', quibus Paetus milites infirmaverat, nihil aliud significare videntur quam Paeti exercitus 'longinqua itinera'. iamiam Paeti et Corbulonis expeditionem propter Vologaesis impetum factam Tacito auctore hieme instante coeptam itemque hieme finitam esse videmus. fieri tamen nullo modo potest, eam ut cum Eglio [1]) inter duas interponamus hiemes. namque singula omnia ex Taciti narrandi modo ac ratione cognoscimus artissime inter se cohaerere, ita ut longius ad temporis spatium pertinere nequeant. quid? nonne plane absurdum est, quod tamen credere, illa totum per annum si dispertiremus, necesse esset, Corbulonis ex Syria iter per Cappadociam et Commagenen in Armeniam habitum temporis spatium amplius fere sex mensium duravisse? hiemem enim c. 8 'iam instantem' memoratam si modo fuisse hiemem sub finem a. 61 sumimus paucasque res c. 10 narratas usque ad verba 'et tunc relictis hibernis' hiemi a. 61/62 attribuimus, priores ut sibi auxilium ferret preces Paetus ineunte vere a. 62 Corbuloni misisse manifestum est. nam vixdum hibernis relictis quasi proelio certaturus Paetus hostibus occurrit paucisque primi agminis militibus amissis terga vertit. sed dein vana rursus fiducia elatus, quia minus acriter hostes urgebant, exercitum, quo Parthos arceret, per plura loca dispersit simulque a Corbulone quamvis aegre compulsus auxilium petivit. is non nisi aliquantulum cunctatus, quo gliscentibus periculis etiam subsidii laus augeretur, eum adiuvare instituit. interim (c. 11) Vologaeses singulas copiarum partes aggressus multos militum obtrivit uno tantum centurione Tarquitio Crescente vehementissime resistere auso. quibus rebus cognitis per fugitivos magnus castra ducemque occupavit terror atque iterum Paetus Corbulonem precibus adiit, ut propere subsidium ferret. sed ille interritus (c. 12) per Commagenen et Cappadociam, qua proximum et commeatibus non egenum, Armeniam petivit. deinde cum nonnullos e fugatis milites obvios habuisset, legionibus admonitis continuum

1) p. 291 sq.

diu noctuque iter properabat, dum Vologaeses (c. 13) Paeti castra castellumque ignaviter defensa adpugnat. certe nemo quisquam dubitabit, quin longius anni tempus nondum praeterlapsum sit, priusquam Corbulo castra moveret ad opem Paeto ferendam: id quod hieme exeunte seu veris principio factum esse quam maxime probabile est. Corbulonem autem non multo ante hiemem apud ripam Euphratis ex c. 16—17 discimus cum Paeto convenisse, qui Armenia decesserat quasi terga in acie vertisset, fugientesque Corbulonis exercitus cum maerore vel etiam lacrimis excepit. attamen ipse brevi cum Paeto sermone habito quominus iuncti Armeniam invaderent recusavit; immo celeriter sibi in Syriam revertendum esse putabat, quo Parthorum equites adsequeretur eosque ne in Syriam irrumperent prohiberet. exin Paetus per Cappadociam hibernavit. Romanorum autem ducum sermo sine dubio statim congressum eorum secutus est; qua de causa non multo ante hiemem convenisse eos liquet. quae si ita essent, Corbulonis iter factum (init. c. 12) qua proximum erat Armeniam petere posteaque (fin. c. 12) diu noctuque continuatum per omnem aestatem atque auctumnum duravisse oporteret. quod tamen prorsus falsum esse inveniet qui vel leviter tabulam inspexerit geographicam. neque enim fieri potest, ut Corbulo ex Syria sub finem demum anni castra moverit, cum priores Paeti preces, quibus auxilium a Corbulone petivit, ineunte anno missas esse intellexerimus, neque dubitandum est, quin futurum sit, ut Corbulo quamquam reipublicae commodum suo postponens usque ad finem anni non cunctatus sit, vel ut tantum Vologaesi temporis non fuerit opus ignavum atque imperitum Romanorum ducem depellere, qui tum castella et commeatus Parthis tradidit, cum Corbulo, quod ipse testatur, non plus tridui afuit. denique iam omnia quam maxime eo spectant, ut res inde a c. 10—17 narratae non nisi in unam eandemque hiemem exeant, ita ut verba 'instante iam hieme' (fin. c. 8) ad initium hiemis a. 62 referenda sint, quippe cum capitis 8 narratio c. 10 continuo excipiatur atque ipsum c. 9, quo continentur ea, quae in altera belli sede, Syriae et Mesopotamiae in finibus, facta sunt, non nisi ad intellegenda ea quae secuntur interpositum sit.

Restat, ut quomodo hibernacula c. 7 et 8 memorata

inter se et cum ea, de qua c. 6 legimus hieme, cohaereant quaeramus. nec difficile videtur demonstrare priores duos locos non nisi ad hiemem a. 62/63 spectare. namque hibernacula, quae muniri c. 7 cognoscimus, quaeque nondum satis firmata erant, cum Paetus exercitum trans montem Taurum raperet, nullo modo fieri potest, ut non ad eam hiemem referamus, quae in fine c. 8 verbis 'iam instans' depingitur. neque certe quisquam est, cui inter illa hibernacula munienda atque Paetum ab expeditione in Armeniam facta instante hieme redeuntem totius anni spatium interponendum esse in mentem veniat. est igitur initium hiemis a. 62/63 vel auctumnus a. 62, quo Vologaesis legatis Roma reversis (init. c. 7) bellum rursus propalam a Parthis sumitur.

Neque tamen idem statuendum est de verbis (c. 6): 'an melius hibernavisse in extrema Cappadocia, raptim erectis tuguriis, quam in sede regni modo retenti?' quae inter alia Tacito auctore Romae Corbuloni ob rem cum Vologaese gestam obiciebantur. namque clare ex Taciteis elucet hanc hiemem, cuius ante principium ea, quae supra leguntur, facta sunt, eam non esse, de qua supra dixi, i. e. hiemem a. 62/63, cum manifestum sit, insequentis anni verno tempore Romae Corbuloni illa exprobrata esse. sed ille cum Vologaese pactionem inierat (fin. c. 5) his conditionibus, ut Vologaeses ad imperatorem Romanum legatos super petenda Armenia et firmanda pace mitteret atque Monaeses, nobilis Parthus, omitteret Tigranocerta, ipse Corbulo retro concederet. ex quo per longius temporis spatium induciae conservatae armaque, ut ait Tacitus, prorsus videntur dilata esse, dum Vologaesis legati Romam se contulerunt. inter quae et dux proprius tuendae Armeniae, quem Corbulo poposcerat, Caesennius Paetus, advenit, qui copiis inter utrumque divisis ardenti animo restituturum sese quae Corbulo male gessisset iactabat. legati autem Romam missi Tacito auctore (init. c. 7.) revertere inriti bellumque tum propalam Parthi sumserunt. secuta est Paeti et Corbulonis contra Parthos expeditio cap. 7—17 descripta, quae, ut supra iam ostendi, auctumno et hieme suscepta est. qua re facile intellegitur fieri non posse, ut Parthorum legationem paulo ante hiemem et Romam missam esse et revertisse Roma putemus, quod tamen credere necesse

esset, Taciti verba ‘an melius hibernavisse in extrema Cappadocia etc.’ si non hiemi a. 61/62, sed insequentis anni hiemi, de qua cap. 7—17 loquitur, attribueremus.

Omnes igitur illos qui ad hiemem pertinent Taciti locos (cf. p. 51 sq.) excepto c. 6 cum ad unam eandemque et quidem hiemem a. 62/63 referendos esse videamus, maximam huius particulae partem (quae incipit inde a c. 7) extremis a. 62 mensibus at tribuamus necesse est. quae continentur c. 6 ea priore a. 62 parte gesta sunt. qua de re, si Taciti particulae XIV, 23—26 atque XV, 1—18 artissimo contextu inter se coniunctae sunt, quinque illis capitibus quae praecedunt de a. 61 dictum est. qui tamen inter duas particulas quin extet contextus, dubitari omnino nequit. nam Tacitus XV, 1 novam particulam incipit paucis repetens ex supra dictis ea, quae ad illustrandum rerum statum necessaria videbantur: Corbulonis res a Vologaese cognitae prorsus eaedem sunt, quas ille in Armenia instituit; itemque iam supra Tacitus testatus est regem alienigenam Tigranen Armeniae impositum esse atque Tiridate, fratre Vologaesis, pulso spretum esse Arsacidarum fastigium, id quod finis fuit Romanorum belli inde ab initio a. 58 usque ad hoc tempus cum Armeniis Parthisque gesti. sed de parte tantum a. 61 dicendum est, quoniam, ut supra vidimus, particulae XIV, 23—26 finis accurate statui non potest: sive eam a. 60 terminari, sive ad partem quoque a. 61 spectare censes. singula tamen quod ad chronologiam attinet fieri non poterit, ut definiamus. hoc unum vero constat Monaesen, Parthorum imperatorem, facto in Tigranen impetu aestate a. 61 urbem Tigranocerta obsedisse. quae res ex eo elucet, quod c. 5 apud Tacitum exortam vim locustarum ambedisse legimus, quidquid herbidum aut frondosum esset. hoc nimirum inter alia, cum equorum pabuli inopia extitisset, causam Vologaesi pactionem cum Corbulone ineundi attulit.

Nipperdeyus, qui nonnulla de eisdem rebus in adnotationibus ad Taciti libros observavit, recte verba ‘an melius hibernavisse in extrema Cappadocia etc.’ ad hiemem a. 61/62 [1])

---

1) ad Tacit. XV, 6.

et verba 'instante iam hieme' (c. 8) itemque quae continentur c. 10—17 ad hiemem a. 62/63 [1]) referenda esse intellexit, pluribus tamen et accuratius de his rebus non disseruit. quae vero ab Eglio [2]) in contrarium disputata sunt, singulatim reiciantur non iam necesse est. Mommsenus [3]) quidem Eglii de his rebus dissertationem mancam esse iure contendit, tamen ipse ea, quae de rerum hoc tempore inter Romanos Parthosque gestarum chronologia statuit ille, plane accepit.

Alteram libri XV. particulam (inde a c. 24—31) Tacitus a certissimo tempore, veris a. 63 principio, incipit eaque finita pergit (c. 32) in rebus enarrandis verbis 'eodem anno', quare cum in libris Ab exc. d. Aug. componendis res gestas singulos per annos si distribuisse statueremus, finem quoque huius particulae in eundem annum exire oporteret. ea tamen res, ut supra exposui, ab eo alienissima erat. neque apud Tacitum ipsum neque apud quemvis alium scriptorem quidquam invenitur, quo huius particulae chronologia diligentius examinari possit. Tacitus enim semel tantummodo in capitibus quae secuntur, ubi Bareae Sorani Thraseaeque Paeti accusatio atque interitus narrantur, Parthorum mentionem facit (XVI, 23—24) hisce verbis: 'tempus damnationi delectum, quo Tiridates accipiendo Armeniae regno adventabat, ut ad externa rumoribus intestinum scelus obscuraretur, an ut magnitudinem imperatoriam caede insignium virorum quasi regio facinore ostentaret.' tum c. 24 Tiridatis cum Nerone in urbem introitus commemoratur Tacito auctore a. 66 factus, id quod certissimis Dioneis [4]) confirmatur verbis, qui Tiridaten Romae advenisse C. Telesino Suetonio Paulino coss. i. e. a. 66 dilucide testatur. sed veluti ex his de fine Taciteae particulae, de qua agitur, nihil si chronologiam respicimus concludi potest, ita etiam ex ipsa rerum enarratione hanc particulam annum 63 excedere non apparet. quapropter Eglio [5]) assentiemur, qui Corbulonis expeditionem in Armeniam factam

1) ad Tacit. XV, 8.
2) p. 291 sq. cf. p. 356 n. 15.
3) l. l. Hermes IX. 1874. p. 135 sq.
4) LXIII, 1.
5) p. 291 sq.

aestati a. 63, pacem autem inter Romanos Parthosque initam Corbulonisque congressum cum Tiridate, qui positum apud effigiem Caesaris insigne regium non nisi manu Neronis resumere pollicitus est, tempori aliquantulum posteriori (exeunti a. 63 aestati) attribuit.

Tabula chronologica

inde ab a. 61—63 p. Chr. n.

61		Tigranes Armenia egressus Adiabenos devastat. Parthorum concilium a Vologaese convocatur molemque belli ipse ciet provinciis Romanis minitans.
	aestate et auctumno	Monaeses, Parthus dux, Tigranen nescium et incautum adoritur, sed frustra Tigranocerta obsidet. pactione deinde inter Vologaesen et Corbulonem inita
	hieme	Romam ille legatos mittit et per longius temporis spatium induciae inter Romanos Parthosque
62	et	erant. simul proprius tuendae Armeniae dux Caesennius Paetus Roma advenit, qui pugnae cupidissimus Corbulonis gesta despiciebat atque renovatum bellum cum magna spe expectabat
	auctumno	Parthorum legati redeunt inriti bellumque propalam a Parthis sumitur. Paetus, dum hibernacula firmantur, longinquis itineribus Armeniam percursat, sed hieme instante exercitum reducit. Corbulo interim Euphratis ripam praesidiis insidet.
62/63	hieme	Paetum aggrediuntur Parthi, qui fugatis quos ille Tauri iugo imposuerat militibus, quo transitum Vologaesis arcerent, ipsum in castris et castello, cui Arsamosata nomen est, obsident. deinde Paetus pactione cum Vologaese facta, castellis et commeatu Parthis traditis, Armenia decedens Corbulonem apud ripam Euphratis obvium habet, qui cum eo collocutus in Syriam celeriter revertitur, dum Paetus per Cappadociam hibernat. Armenia autem et a Parthis et a Romanis vacua relinquitur flumenque Euphrates fines Parthorum et Romanorum sepa-

		rat. quam ob rem Romae tropaea de Parthis sistuntur.
63	veris principio aestate exeunte aestate	Parthorum legati mandata regis Vologaesis litterasque Romam afferunt. Corbulo Armeniam invadit et pace cum Parthis inita cum Tiridate convenit, qui positum apud effigiem Caesaris insigne regium non nisi manu Neronis resumere pollicetur.

GVILELMVS LAVFENBERG DE VITA SVA.

Natus sum Coloniae Agrippinae a. d. IV. Non. Ian. a. h. s. L patre Francisco matre Elisabetha e gente Weber. fidem profiteor catholicam. primis litterarum elementis Bonnae imbutus eiusdem civitatis adii gymnasium Schopeno tum florens directore, deinde Kleinio. testimonio maturitatis instructus civibus academicis universitatis Fridericiae Guilelmiae Rhenanae per decem semestria adscriptus fui. docuerunt me: Bergk, Hiller, Iahn, Kampschulte, Klein, Knoodt, I. Bona Meyer, Nasse, Philippson, Ritter, Schaefer, Simrock, de Sybel, Varrentrapp, Vsener. quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago quam plurimas: praecipuas vero debeo Arnoldo Schaefer et Henrico de Sybel, qui ut historici seminarii per sexies senos menses sodalis essem ordinarius benignissime permiserunt studiaque mea benevolentissime adiuverunt.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Mommsenus non recte Caesarem (IV. Id. Iul.) a. 102 natum esse iudicat (Roem. Gesch. III, 15 Anm. 5. Aufl.).

II. De rebus Parthicis quae tradidit Iosephus minoris facienda sunt quam quae Tacitus.

III. Dio quin in particula historiae Parthicae LXII, 19—23 non ex Tacito ipso hauserit, verum ex aliis auctoribus, quibus et Tacitus usus est, non dubito.

IV. Theoderici de Niem non sunt ‘Invectiva in Ioannem XXIII’.

V. Tacit. Germ. 35 verba ‘plurimum virorum equorumque’ spuria habenda sunt.

VI. Tacit. Agric. 13 pro ‘velox ingenii, mobilis paenitentiae’ legendum est ‘velox ingenii mobilis paenitentia’.

DS
181
L3

Laufenberg, Wilhelm
Quaestiones chronologicae de rebus parthicis armeniisque a Tacito in libris XI-XVI

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 15 10 07 01 024 8